

SYMBOLA  
VARIA DIVERSORVM  
PRINCIPVM.

CVM FACILI ISAGOGE D.  
ANSELMI DE BOODT BRVGENSIS  
SAC. CÆS. MALAVLÆ MEDICI



DILIGENTIA

PERSEVERANTIA

CVM GRAT. ET PRIVILEGIO  
SUMMI PONTIFICIS, ET  
SAC. CÆS. MAI.

TOMVS TERTIVS.

S. C. M.<sup>us</sup> SCVLPTOR AGIDIVS  
SADELER EXCVDIT PRAGA  
M. D. C. III.

CAL

**R**

...aque h  
...cupit, nec  
...ceptione v  
...trique faci  
...quod re  
...ligatur, e  
...non affeq  
...nulla rat  
...imprimis  
...tam ob  
...quam styli  
...tionem ora  
...pue expo  
...Hierog  
...tum ne n  
...tibi lect  
...re quibus  
...Non fuit  
...Orator  
...Latine  
...Typotius g  
...ntelligi vo  
...itaque nos  
...animo sus  
...in etern


SERENISSIMO PRIN-  
CIPi MARINO GRIMANO  
VENETIARVM DVCI, DOMINO  
SVO COLENDISSIMO.

**N**escio profectò Serenissime Princeps, quid augustius  
ac utilius Symbolis viris magnis, & qui rerum publica-  
rum curis semper occupantur, esse possit. In his enim tan-  
quam in speculo neglectis Philosophorum & Historio-  
graphorum voluminibus (quæ non nisi longo tempore euoluuntur) &  
vitæ, & consiliorum, rerumque gerendarum rationes, ac prudentiæ  
leges intueri, menti quæ insculpere, ut usui quotidiano accommodentur,  
absq; temporis aliqua iactura, citò & facile licet. Verùm etiam si  
huiusmodi præceptis aut legibus non egeat Serenitas tua; utpote quæ  
prudentia, rerum quæ gerendarum peritia, ad summum locum quem  
totius Senatus assensu & uniuersali populi acclamatione obtinet, per-  
uenerit: nihilominus tamen, quia ea quæ res gratas & iucundas in  
memoriam reuocant, placere solent, ac Serenitatem tuam optimis legi-  
bus, politicis quæ sententijs summopere delectari non dubito: Existima-  
ui me non male facturum, si Serenitati tuæ hæc mea Symbola humil-  
limè offerrem ac dedicarem. Præsertim quòd Resp. Veneta (sub  
qua aliquot annos degi, ac initia artis calcographicæ & educationis meæ  
habui) gratitudinis aliquod testimonium à me desiderare videatur;  
ac nisi ingratus haberi velim, meorum laborum fructus aliquos (licet  
exiguos) illi offerre debeam. Accipe itaque Serenissime & Magna-  
nime Princeps, qui caput florentissimæ illius Reipub. es, ac totum illius  
corpus, virtutibus, dignitate, & Maiestate personæ tuæ refers, istud  
grati animi mei signum, læto ac hilari vultu, et laboribus meis utere ac  
fruiere, dum quæ per otium licet, varia Principum Italiæ consilia, institu-  
ta, & proposita contemplare, me quæ, mea quæ, in tuam clientelam suscipe-  
re dignare. Deus Opt. Max. interea sua clementia Serenitatem  
vestram in æternum benè beatè quæ valere faciat.

Sere: Vest.

Seruus obedientissimus

Ægidius Sadeler.







# CANDIDO LECTORI.

**P**Riores duos Tomos Isagoge illustravit Doctissimus vir Iacobus Typotius Sac. Cæs. Maiestatis Historicus. Verùm quia orationis gravitas non minus interpretem requirit, quam Hierographiæ Oedipo indigebant, atque hac ratione neque lectori qui avidè interdum explicacionem cupit, neq; Sculptori qui propter orationis obscuritatem emptores ab emptione voluminum deterreri arbitratur, satisfactum sit: Studui ut utrique facillimo ac perspicuo orationis genere satisfacerem; eoque magis quòd res ipsa per se obscurissima, non obscuram sed claram, ut intelligatur, orationem desideret. Si interdum videbor Mystæ mentem non assequi, id mihi à viro bono & candido vitio non vertetur. Cùm nulla ratione fieri possit ut animi concepta semper assequi liceat. Dedi imprimis operam ut nulli Hierographiæ deesset explanatio, quòd nullam tam obscuram esse, quin explicari possit, ostenderetur. Si nunquam stylus coactus aut tectus videbitur, id scias lector figuram ac allusionem orationis ad gnomem postulare: Obscura enim non semper perspicuè exponi possunt. Vno etiam tantum modo singulæ explanatæ sunt Hierographiæ, licet multifariam explicari possint: Id studio feci, tum ne nimis curiosè Principum arcana indagare velle viderer, tum ut tibi lectori aliqua exercendi ingenij ratio superesset. Scio multos fore quibus oratio mea non placebit, sed nec Iuppiter omnibus placet. Non fuit mihi propositum Typotij stylum imitari, ac Grammaticis, Oratoribus vel Poëtis solis hæc scribere; sed omnibus & vel parum Latinæ linguæ peritis; ut cuilibet usui mea esse possent. Scripsit Typotius gravissimo stylo sibi non alijs, ac studiosè non nisi studio intelligi voluit. Ego legentis mentem & ingenium hæreere nolui. Hæc itaque nostra candide lector qualiacunque sint, æquo ac benevolo animo suscipe, Typographique errores operi subiunctos corrige, & in æternum vale, Pragæ, Anno Christi, 1603.

CANDIDO LECTORI.

Rectoribus duobus Tomos huiusmodi illustravit Do-  
ctissimus vir Jacobus Typographus etc. etc. etc. etc.  
honoris. Vnde quia orationis gratia non tantum  
interpretatione sed etiam illustrata. Quia huius  
dant, atque hac ratione huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
non cupit, sed scripturae huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
ab empiricis voluntariis huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
ut utique facillime ac perspicue orationis huiusmodi huiusmodi  
magis quod res ipsa per se ostendit, non oblectam huiusmodi  
intelligatur, orationis huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
tam non atque, id mihi a vobis huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
Cum nulla ratio huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
Dati rationis operam ut huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
nullam huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
necquam huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
alium non orationis huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
perspicue orationis huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
te huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
sed, cum de huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
tam ut tibi lectori huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
ut fore quibus orationis huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
ere. Non tam mihi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
maticis, Oratoribus huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
primum huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
pudic. Typographus huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
dio, intelligi voluit, huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
huc iacque huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
volo huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi  
liget in eternam etc. Typographus Anno Christi 1602.

Das Buch  
...  
Der 4



Die Neue Universitäts-  
bibliothek  
Der 66



Die Universitäts-  
Bibliothek  
Der 69





Magni *Duces. Duces. Principes et Marchiones totius Italia* 1  
*Thomas Mocenigus Venetorum Reipub. Dux 64.*      *Franciscus Foscarì Venetorum*  
*Dux Reipublicæ 65.*



*Christophorus Monus Venetorum Reipub. Dux 66.*

*Pasqualius Malpieri Venetorum Reipublicæ Dux 67.*



*Nicolaus Thronus Venetorum Reipub. Dux 68.*

*Nicolaus Marcellus Venetorum Reip. Dux 69.*



## SIC IMMORTALIS SUM.



**L**AURUS immortalitatem, quòd perpetuò vireat, designat. Duæ vero manus, quæ & illam, & sese complectuntur, fidem datam seruanti, immortalitatem parere ostendunt. hæc dux Venetus sibi quòd se fidelem reipub. suæ sciuerit, accommodare voluit. Sunt aliæ arbores, quæ hyeme & æstate vigent, sed hanc elegit, quòd sacra, & augusta sit, eximia forma, odoreq; suauis, prædita, ac victorum ornamentum. Diuo namq; Augusto de cælo missa fuit. Tyberiusq; Imperator tonante cælo seruum de lauri frondibus contextum, & triumphantes Romanorum duces capiti aptare solebant. Laurus siquidem, Plinio teste, ne quis fulmine iciatur, prohibet.

Lauri species duæ sunt: Delphica & Cypria. Delphica reges & principes victores, Cypria musæ (ut & nunc poëtæ) Delphis coronabantur ac sese immortalitati consecrabant.

Fides foederatq; duabus junctis manibus confirmari & olim & nunc solent. Fides reipub. est fundamentum, hæc namq; ab heroibus reipublicæ cui præsent, data seruataq;, illos immortales facit, & rempublicam florentem conseruat.

## CONSTANTER ET SINCERE.

Palmae duo rami diademati transversim inserti constantiæ, diadema regum regni, & aurum sinceritatis, sceptrumq; erectum imperij aut reipub. est argumentum. Aptè hæc ad Symbolum, constanter videlicet & sincerè regnum & imperium vel rempub. esse administrandam. Palma constantiam designat, quia quo magis deprimitur, eò fortius asurgit. Vt illa non cedit: ita heroës publicam utilitatem, privatis commodis præponere, malorumque injurias & maledicta negligere ac contemnere, sincereq; remp. administrare debent, memores Virgiliani versus: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Constantia & sinceritas etiam auro indicatur. Nam aurum diro igni toto anno cruciatum, ita constanter illius vim perfert, ut nihil illi depercat ponderis, longèq; purius & sincerius illæsum postea eximatur.

Vt itaq; in Hierographia aurea corona sceptrum erectum sustentat, ita constantia sincera imperium omne continet. Constantiæ sinceræ præmium etiam regnum vel imperium est, quod Alexandri Magni exemplo docetur, qui res aduersas perferens, & contemnens, Cyrum Persarum regem vicit, & Monarchiam orbis adeptus est. Huc respexit Archihierographus S. Paulus, qui neminem coronari asserit nisi legitime certaverit. Affectus enim animi, Satanam & mundanas nugas superari vult, fortioremq; illum, qui se, quàm qui alios vincit rectè existimat.

## SIC SEMPER.

Solebant Aegyptiorum reges ingentes illas pyramides, quæ inter mundi miracula recensentur, & nunc adhuc superstites conspiciuntur, sepulchris suis  
ut apud

ut apud posteros æterna ipsorum maneret memoria, extruere. Ingentes quidē eaq; forma : ut adversus omnes tempestates, tempusq; rerum edax quodammodo SIC SEMPER durarent. Hos imitatus dux Symboli author, monumento firmæq; basi obeliscum vel pyramidem imposuit: quam neque ventus validus appictus deicere, neq; Sol exurere, aut annorum cursus, (quos Sol definit,) exedere possunt. Innuitur itaq; bonam famam ac memoriam ducis post obitum (quem obeliscus monumento superstructus ostendit) ita constanter SIC SEMPER, ut dum viveret permanfuram : manet siquidem post funera virtus. Imo & post funera nomen ducis solis instar, illustre in vitis Zoilis (quos ventus indicat) fore, indicari potest. Verum quid si vir magnus reipub. commodo deditus obeliscum scopum, & metam rerum gerendarum nempe reip. utilitatem esse velit? seq; ad hanc contendere, neq; Solis æstus ventiq; frigora, hoc est ulla obstacula ita pertimescere ut à ceptò desistat memor Poëte :

*Qui cupit optatam cursu contingere metam  
Multa tulit fecitq; puer sudavit & alsit?*

Profectò non malè Symbolum cum Hieroglypto hoc modo expositum conveniet.

### VIS CONJUNCTA MAJOR.

Sagitta ad metam directa Scopum vi fulguris adjuta attingit. VIS enim humana CONJUNCTA cœlesti, MAIOR profectò est, ut omnis vis unita fortior dispersa. Quis enim nescit sagittam ab homine, & fulgur à Jove emitti? Fulguris etiam vim maximam esse, non ignorat is, qui fulguris causam, & materiam, spiritum esse tenuissimum ab exhalatione calida siccaque prognatum, ac vehementer impulsam, & incensam intelligit. Cum enim huiusmodi exhalatio spiritu igneo turgida, à frigidissimis densissimisque nubibus interceptitur & concluditur, ac in angustias ita cogitur, ut amplius non possit; tum liberum ac capaciorem postulat queritq; locum, & nubes à quibus impeditur ac obseptus est, momento, ut spacium habeat, disfringit; maximumq; sonitum quem tonitru vocant efficit, vehementiq; impetu erumpens, & ob motum citissimum materiamq; sulphuream halinitri spiritu commixtam, ignitus, obvia quæq; pervadit, diffundit, aut exurit, quod tum spicula ipsi telo tum ignis appictus indicat. Rectè itaque dux numinis vim magnam esse, ac si humanis viribus jungat majorem fore fulguris imagine, seq; viribus suis, melius reipub. cui præest, divina ope accedente, regere posse ostendit.

### IMMORTALE QVOD OPTO.

Muliercula, aut virgo nuda, nulloq; ornata muliebri mundo retibus vel laqueis insistent, mentem ducis adumbrat: Ostendit enim quod pericula omnia, quæ à mundo, & Satana quotidie imminet, studiosè evitet, animiq; affectus, & impetus improbos, quibus ita solet mens, aut

4.

animus illaqueari, ut nihil heroicum nihilq; pium facere possit, superare contendat; Ac ob id se interiturum præmium ex palma, vel Lauro quæ cito marcescunt, non optare, sed aliud, quod immortale sit, verum virtutis præmium. Neglecta enim Lauro, ac palma cœlum ostentat, ibi videlicet IMMORTALE esse, quod OPTAT, ibi verum rerum bene gestarum præmium, nempe cum summo ac inexplicabili gaudio vitam æternam: Fœlices profectò illi heroes qui immortalia, æternaq; interituris, ac caducis rebus præferunt. Fœliciores, qui vitam ita instituunt, ut immortale, & summum illud bonum consequi possint. Fœlicissimi qui jam Deo uniti summo illo bono fruuntur. Sciuit dux se palma laurea que ob virtutes resque bene gestas dignum, sed vana hujusmodi præmia se prudenter contemnere palam demonstrare voluit: Hunc imitari, & caduca despiciere; cœlestiaq; tantum ac diuina præmia optare, discamus.

### BONÆ SPEI.

Ex sacris literis desumpta est hæc Hierographia, cum post aliquod mensium imbres, arca Noë remissis, & defluxis ex parte aquis, supra montes Armeniæ sisteretur; Columbam Noë exploratum emisit, num terræ planities habitabilis foret. Illa jamdudum conclusa, liberoq; aëri credita veterem antea libertatem & assuetos cibos quæsiuit, quos cum nequaquam inveniret: arrepto olæ ramusculo ad arcam revolavit. Hinc bonam spem concepit Noë, brevè terram habitabilem ut prius fore.

Quemadmodum itaque post imbrium undarumque tempestates columba olæ ramulum, deferens spei signum, dedit ipsi Noë: ita dux hoc Hieroglypto ostendere voluit: neminem fortunæ iurijs laesitum, nullamq; rempublicam bello conquassatam desperare debere, præsertim fortuna mitiore pacatioreque sese ostendente: sequitur enim post nubila Phœbus, neque res humanæ perpetuo eodem in statu permanent. In rebus itaque adversis nunquam animus deijciendus, sed BONÆ SPEI fortes viri esse debent: tum quod Deus nullum onus tam magnum, aut calamitatem tam ingentem inferre soleat, quàm non ferat hominis natura: tum quod adversam fortunam & calamitates, sequatur plerunq; melior fortuna. Instabilis enim est, & quos depresso, mox elevat.

Columba in Hieroglypto, quia absque bile animal esse putatur, mansueta omnia, olæque pacem, promittit, quæ BONÆ

SPEI est, quod rerum copia ac reipub, felicitas  
pacem sequi soleant.



Magni *Duces et Duces Italiae.*  
Petrus Mocenigus Venetorum  
Reipublicae Dux 70.

5  
Andreas Venetianus Venetorum Rei:  
publicae Dux 71



Joannes Mocenigus Venetorum  
Reipublicae Dux 72.

Marcus Barbaricus Venetorum  
Reipublicae Dux 73.



Augustinus Barbaricus Venetorum  
Reipublicae Dux 74.

Leonardus Loredanus Venetorum  
Reipublicae Dux 75.



## LÆSÆ LIBERTATIS AFFECTVS.

Vt sanitas cum læditur afficitur, ita libertas, ac ut illius affectus, corpus; ita istius rempublicam perturbat: Quia enim, ut inquit, I. C. res est inæstimabilis libertas, ac, teste Aristotele, potestas vivendi, ut velis, quamque natura introduxit, nullæque gentes qui eam habent libenter amittunt: Fit ut si perturbetur, & lædatur multorum tumultuum sit causa, qui non prius cessant, quam aut pristinum statum habeat, aut pereat. Contingit enim interdum eos, qui nimium libertati student in servitute rapi, ab ijs, quorum interest, nimiam libertatem introduci, Nam magna libertas sine aliquorum damno vel injuria raro habetur: Cum enim plebs libertate magna fruitur, tunc optimates opprimi, cum optimates, tunc plebs, cum verò reges, tunc optimates, cum plebe, solent. Ostendit itaq; Hieroglypton turri, quæ carceris figuram præ se fert, servitutem, aut læsam libertatem, undarumque fluctus, qui turrim obsident, & aluunt, læsæ libertatis affectum, tumultum nempe & seditionem populi, ad removendam servitutem, & recuperandam libertatem ortam & institutam, quasi innuere vellet duces reipub. operam dare debere ne lædant populi libertatem ac seditionum nec non tumultuum causa fiant, sed potius ut illam illæsam conservent.

Potest etiam turris inter fluctus constituta mentem principis indicare, quæ uti à fluctibus concussa sine noxa permanet, ita etiam mens humana, ab omnibus læsæ libertatis affectibus, (quæ fluctibus signantur) agitata, eos contemnit & superat.

## NULLI CEDIT.

Decet Heroicum virum, ac reip. præsidem, fortitudo constantia & magnanimitas, quæ quercu designatur. Nam quercus cæteras omnes arbores robore, propter ligni durissimi compagem; Constantia propter radicum ramorumq; multitudinem & crassitiam: ac magnitudine, quod ramos longè lateq; diffundat excelsaque præ cæteris sit, superat. Convenit autem Heroi fortitudo: ut pericula maxima propter honestatem & commune bonum subeat. Constantia, ne à bene inceptis desistat, aut ab adversis facillè perturbetur. Magnanimitas, ut exiltimatione sibi erga populum facta, cum in officio contineat ac incepta facilius ad finem deducere possit. Quantum enim possit vir magnanimus ac gravis indicat Virgilius:

*Ac veluti magno in populo cum sepe coërta est  
Seditio, servitq; animis ignobile vulgus,  
Famq; faces & saxa volant furor arma ministrat  
Tum pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem  
Conspexere, silent arrectisq; auribus adstant.*

His tribus virtutibus clarus, nullis cedat, neque hostibus neque rebus adversis, ut quercus, quæ aëris imbriumque tempestatibus non cedit, sed

dit, sed pericula quævis magno animo fortiq̄ue ac constanter ferat: ita siquidem laudem apud suos ac bonum nomen apud posteros consequetur.

### CUM PATIENTIA.

Quis hic dexteram datam & junctam, flammaq̄ue flagrantem, ardentis amoris & concordiaë vinculum significare non intelligit? quod nec ignis, nec adversi quippiam dissolvere debeat. Amoris siquidem nexu, sacramento pactoq̄ue confirmato vincti, CUM PATIENTIA quævis potius ferre, quàm ut se diuelli patiantur, debent. Sed quid serpens in orbem actus, caudamq̄ue ori insertam habens indicat? Serpens, prudentiam, orbis figura, vinculum illud amoris, caput Reipub. ducem, quod caudam, id est, plebem, reip. infimum membrum, ita prudenter continere debet; ne vinculum amoris & concordiaë quod inter optimates & plebem, unius corporis partes est, rumpatur aut diuellatur, significat. Vt enim cum caput caudam, vel aliud ejusdem corporis membrum lædit, etiam malè habet: quia omnes partes animalis ita harmonicè consentiunt; ut nulla affici & lædi, quin omnes patiantur, possit: ita ij, qui rempublicam regunt cum plebem opprimunt & exugunt, tandem & illi, laborante republica, quasi manibus pedibusq̄; destituti nullas vires habent, ac damnum sibi non plebi (quæ faciliùs reip. mutationem fert) intulisse sentiunt.

### NON MIHI DOMINE SED NOMINI TUO DA GLORIAM.

Pius & modestus profectò hic dux, qui quas de hostibus reportavit victorias non sibi, sed numini ascribi vult, dum ait: NON MIHI SED NOMINI TUO DA GLORIAM. Pietatis enim est, quicquid foelicitatis vel boni in hac vita consequimur, illi accepta ferre, cujus beneficio sumus & vivimus. Modestia etiam est, partæ victoriaë gloriam, quam victoriaë author D. Opt. Max. sibi, non alteri peperit: non nobis, sed illi ascribere: victoria enim omnis à Deo est, & ille dat cui vult. Victoriæ autem de hostibus non levem hunc ducem reportasse, indicat Hercules, qui omnium animalium regem fortissimum leonem comprimit.

### COPIA ME PERDIT.

Quemadmodum plerunq̄ue contingit arbores, quæ copiam fructuum ferunt, ~~vel~~ fructuum onere, vel ab ijs qui fructus decerpunt, dirumpi: Ita sæpe magni viri eximijs virtutibus, ac animi dotibus præditi, dum nimis studiosè reipub. curam gerunt, ac virtutum & studiorum suorum fructus publicæ utilitati accommodant (memores sententiæ non nobis, sed patriæ nati sumus) vires animi & corporis robur ita frangunt, ut rectè illorum quisvis dicere possit: COPIA fructuum meorum ME PERDIT. Nam si nullas animi dotes habuissem, quibus patria frui

8.

ac uti poruisset curis publicis, arduisque negotijs, non fuisset prefectus, sed integer curisque solutus, beatam (ut inquit Marcial.) domi vitam egissem. Verum non luget neque dolet dux Augustissimus, se alijs inferuendo consumi, sed innuit ijs, qui putant reipub. praesides beatos esse, rebusque suis optimè consulere potius detrimentum pati.

### NASCETUR.

Elephas animal vastissimum omniumque quadrupedum maximum res magnas designat. Symbolum verò N A S C E T V R, proli, quam utero gestat, accommodari debet. Indicatur namque hoc Hieroglypto ac Symbolo res magnas non ita properè esse expediendas, sed expectata dataque occasione; inquit enim Theognides: μηδ' ἐν ἄγαν ἀπέυδαι ne nimis propera. Vt enim elephas, Plinio teste, decennij spacio uterum gerit tantumque in vita semel, ac pariendi tempus dum veniat, patienter expectat: ita etiam, res magnæ quæ geruntur, accelerari & precipitari non debent, sed expectanda apta rei gerendæ occasio, quæ tandem uti elephanti proles, licet diu utero contenta, nascetur. Tempus enim occasionem gignit & parit.

\* \*

\* \*





MAGNORVM DVCES ET DVCES ITALIAE . 9

Andreas Grimanus Venetorum Reip.  
publica Dux 76.

Andreas Grillo Venetorum Reipublica  
Dux 77.




Petrus Landus Venetorum Reip.  
Dux 78.

Franciscus Donatus Venetorum  
Reipublica Dux 79.



Marcus Antonius Trivisanus Venetorum Reip. Dux 80.

Franciscus Venetius Venetorum  
Reipublica Dux 81.



## FESTINA LENTE

Convenit hæc Hierographia cum proximè præcedenti: Columna enim res graves magnasque quibus respub. innititur, ut illa structuræ augustioris fulcrum esse solet, designat. Hanc festinanter & lentè excrescens circumvolvit vinea. Festinanter, quia vix stirps aut arbor tam citò ramos producit, ac vinea, lentè tum quòd aspicienti motus nullus appareat, tum quod tardiùs botros ferat, & maturet. Prudenter admonentur principes viri, ne cum gravissima negocia ac ex quibus salus reipub. dependet tractant, nimis properent ac inconsultè & immeditatè quippiam aggrediantur aut statuunt: rarò enim fœlix eventus hujusmodi consilia sequitur. Lentè itaq; festinandū; Sat citò si fat bene. festinatio neque cernit, neque cavet pericula, lenta verò tempus habet; ut noxia observet & evitet.

## SUSTINET NEC FATISCIT.

Andreas Gritti cum fœliciter octennij bellum pro Venetis gessisset, ac Patavium contra Maximilianum defendisset, hanc Hierographiam à M. Ioanne Cotta poëta Veronensi inventam auroq; insculptam inter amicos, Cùm jam dux Venetorum Electus esset clam distribuit. Sustinet autem in hac Hierographia Atlas orbem, universæ nempe naturæ maximam molem, imò & universum ipsum. Inquit Symbolum: Sustinet nec fatiscit. Sed quis universum ipsum sustinere potest? profectò nemo nisi Deus Opt. Max. Quid itaque indicatur? Nihil aliud, quàm eos, qui à Deo ad res magnas, aut ut remp. regant vocati sunt, labores vocationis suæ ferre constanter debere. Iuvabit enim illos divina virtus, ne oneri succumbant, aut fatiscant, perfer itaque & obdura, SUSTINE NEC FATISCE Deus opem feret & labor compensabitur vel hic vel vita æterna.

## IN OLLIS VENARI.

Principes viri in sylvis non in ollis venari, hoc est suis non alienis laboribus sibi rem, statum & dignitatem comparare debent. Qui enim alienos labores devorant, ac ab alijs præparata, & constituta sibi applicant, ac in proprios usus convertunt, illi milvis, (quorum rapacitas cuiusvis cognita est,) comparari possunt: Dum enim prædam in aëre milvus quærere deberet, ollam decoctis carnibus plenam (in hoc Hieroglypto) faciliori compendio invadere conspicitur. Hic acquirendi modus, ut privato nulli convenit: ita nec principi, nisi Tyranni haberi velint. Tyranni enim per fas nefasque aliorum facultates per vim ad serapiunt, ac præsentis sorte minimè contenti, regna ac respub. bene constitutas perturbant, invadunt, suisque regnis injustè adjungunt. Princeps iste Petrus Landus, ne talis putetur & habeatur, Tyrannorum, ac illorum, qui in ocio degentes, injustè aliorum opes ad se trahunt ac consumunt, imaginem Hieroglypto exhibet. Vitij enim turpitudine exemplo aliquo  
hominis

hominis menti insculpta, ac palàm figura oculis objecta, mentem non solum ne peccet firmat & tuetur, verùm etiam virtutis studium summo-  
perè placere ostendit.

## LIBERTAS SUB METU.

Traeta est hæc Hierographia à vulgari fabula: Equus enim quidam freno sefforeque excusso, veloci cursu sylvam (libertate adepta petulàs) petijt ibiq; in lupos famelicos incidit, à quibus cū dilaniandus sterneretur nullaque vitæ spes amplius superesset exclamasse narratur: **O me miserum & infelicem**, qui clementem meum dominum abunde pabulum mihi suppeditantem gestare nolui, jam luporum visceribus gestabor. Symbolum ait libertas sub metu, & verè, ut enim equo illi absq; metu in sylvã excurrenti interitus præstò fuit, ita & rebus publicis privatisque hominibus, ni prudenter pericula, quæ vel libertatem labefactare aut tollere possunt, observent, ac evitent. Insidiari libertati rerumpub. Tyranni solent; quia non se ut populo & communitati, sed populum, ut illorum libidini & voluptati inserviant, creatos arbitrantur. Libertas itaq; quævis cum metu nõ careat, quin facilè in servitutem commutetur: citius autem ea, quæ in peccandi licentia constituitur, ac vera libertas dici non potest, est siquidem libertas, teste Cicero-  
ne potestas vivendi ut velis, verùm certo tantum modo. Nam Cicero priorem exponens definitionem, inquit ita. Is vivit ut vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisã est, qui legibus quidem non propter metum paret, sed ea: sequitur atq; colit: quia id salutare maximè esse judicat. **Qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter ac libere:** cujus omnia consilia, resq; omnes, quas gerit ab ipso proficiscuntur, eodemque referuntur: nec est ulla res, quæ plus apud eum valeat, quàm ipsius voluntas atque iudicium, cui etiam fortuna ipsa cedit. Libertate vera quia fruitur respub. Veneta, cujus caput dux iste Franciscus fuit: ut posteris consuleret ac prudentiæ suæ testimonium relinqueret, admonitos eos voluit; ne libertate, qua ipso imperante fruuntur, abuterentur, ac tanquam effrenes equi peccandi licentia in vitia ruerent, ac sine metu amittendæ libertatis, nimis securi, vicinis Monarchis prædæ essent. Dum enim libertas peccandi nimia conceditur, ac peccata impunita relinquuntur: bonorũ oppressio, propter illatas injurias ulciscendi cupido, pristini status mutationem & servitutem facilè inducunt. Quæcunque itaque florere respublica diu vult, imprimis operam det: ut viri boni tutò degere ac vera libertate frui possint, nec non improbi, quantumvis magni, legibus coercantur, ac delinquentes plectantur.

## SUMUS.

Sumus inquit Symbolum. Verùm dubitant argutuli an simus nec ne. Nam præsentis temporis est Symbolum. Tempus autem præsens nullum videtur. Fluit enim perpetuò tempus. Si nomen, tum & ipsum

ipsum nunc putes, falleris, quia tantum connectit futurum cum præterito, uti linea quæ connectit album lignum nigro, apparens quidem, sed sine ulla latitudine. Esse tamen nos, verè scimus, sed ita: ut ea, quæ in perpetuo sunt fluxu, ac stabile nihil habent. Fluxus & inconstans noster iste status horologio Solari cujus umbra nunquam quiescit, ac clepsydra cujus momenta continuè fluunt, nec consistunt, commodè designantur. Verùm Mystra non solum se nihil esse, (ut præsens tempus nullum dari posse viderur.) ostendere, conatur: Sed etiam, se nunc dignitate illustrem quisnam priùs fuerit, ac post hanc vitam futurus sit perpendere. Qua contemplatione nihil utilius est, tum ne ad majores honores everti superbiamus, tum etiã, ut imbecillitatis nostræ memores, ita vivamus ut posteris bonum nostrum nomen relinquamus, & vitæ aternæ participes fiamus.

### AUDACES JUVAT.

Audaces fortuna juvat timidosq; repellit. Canit Virgilius. à quo versiculo author Hierographiæ Symbolum accepit. Verùm fortunam adijcere noluit, quod fortuna temerarios potiùs, quàm audaces juvet. Ac si audaces optatæ rei exitus ferè semper sequatur, id non fortunæ, sed virtuti & prudentiæ tribuendum esse: Audaces enim, quæ aggredi uolunt, priùs consultant: Temerarij, absque consilio in quævis pericula sese conijciunt ac præcipitant. Leo ut est animalium omnium audacissimus & rex: ita aptè illius figura crecta, ac ad pugnam instituta, audacia significatur: quæ principibus viris imprimis convenit, tum ut res magnas arduas ac periculosas non tentent, nisi adhibito priùs consilio, Tum etiam ut ab inceptis non facillè desistant, sed leonum instar magna animi fortitudine audacter & intrepidè ijs incumbant, donec ad optatum finem perducant. Nihil enim turpiùs principi præsertim in zebus bellicis, quàm quid inconsultè aggredi, ac tentata frustra cum ignominia relinquere. Rectè itaque Mystra audaces consilium juvare asserit.



MAGNI DVCES ET DVCES ITALIÆ

Laurentius Priolus Venetorum Reip.

Hieronimus Priolus Venetorum Reip.

Dux 82.

Dux 83.



Petrus Loridanus Venetorum Reip.

Alvysius Mocenigus Venetorum Reip.

Dux 84.

Dux 85.



Nicolaus de Ponte Venetorum Reip.  
publica Dux 86.

Pasqualius Zucogna Venetorum  
Reipublica Dux 87.



## NULLA HORA SINE LINEA.

Linearum pictura nobilis fuit Appelles. Is cum Protogenem pictorem, qui peregrè profectus fuerat, quæreret lineam ex colore duxit sumæ tenuitatis per tabulam: nolebat enim domæsticis nomen suum dare. Reversus Protogenes ac subtilitatē lineæ contemplatus Appellem se quæsisse asseruit. Quapropter arrepto penicillo alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxit, ac præcepit, ut si rediisset illi ostenderetur. Reversus Appelles ac vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum, ac Protogenem hac ratione superavit. Appelles id in ore habere solebat: nullam diem illi esse sine linea. Cui sententiæ, Symbolum hoc simile est viris omnibus, qui reipublicæ inserviunt ac præficiuntur observatu necessarium. Vt enim Sol, qui inferiora hæc omnia calore & luce regit, generat, producit, ac fovet, nunquam quiescit, ac stylo, quem in horologijs solaribus radijs suis illuminat, singulis momentibus umbram facit, & proinde **N V L L A** etiam **H O R A S I N E L I N E A** elabatur: ita etiam reipub. duces nunquam ociosi esse, sed assiduis exercitijs populi bonum, & commodum curare debent. Hoc quia huic duci semper propositum fuit, diligentia suæ notam, posteris, hac Hierographia reliquit.

## PAULATIM, PAULATIM.

Paulatim incedit, sed securè testudo. Securè propter domicilium ac tegumentum, quod secum perpetuò fert, ita compactum mirabilis naturæ artificio, ut eo ab omni periculo rupium ubi degere solet defendatur & muniatur. Nam à saxis sive in illa præcipitetur testudo: siue ea in illam decidant, neque lædi ipsa, neque tegumentum confringi potest. Ostendit hac Hierographia prudentiam Mystra, qua in rebus arduis & quæ ad reipublicæ suæ salutem spectant utitur. Paulatim enim difficillima negotia gerit, ac non nisi circumspicere & deliberatè. Hac enim ratione tutò ad opratum finem etsi paulò tardiùs, perducuntur. Sat citò, inquit ille, si sat bene. Complures properanter & absque consilio sua conficiunt, verùm sæpe illos properantia nimis pœnitet: Si aliqua res celeritate opus habet, res bellica est: Verùm ni & illa, consilio subitaneo præhabito geratur, multorum exitio properantis stultitia plectitur. Valet enim semper hoc Salustij: priusquam incipias consulto, at ubi consulueris maturè opus est factò.

## NON SUNT TALES AMORES.

Duo Hastarum manipuli vincti concordiam viresque junctas multorum, Vincula, amorem significant. Vt enim junctæ hastæ nulla ratione infringi, ne à robustissimo quidem viro, separati facillimè ac à puero possunt. Ita etiam regna ac Respub. concordēs nulla hostium vi subverti possunt. Hanc concordiam conservat amor civium erga se mutuo, quem virtus & bonæ leges similiaque civium studia parere solent. Hic si labatur aut vacillet, & vel propter diversam religionem, aut alias causas,

fas ultro citroque minuatur aut pereat: respub. tandem pessum it, ac non diu stare potest, ut multæ etiam optimæ institutæ respub. suo interitu satis declarant. Id Mystra prævidens aliquando (ut nihil in rebus humanis perpetuum) reipub. suæ posse contingere. Ait: **NON SVNT TALLE AMORES** hominibus, ut nunquam dissolvi ac infringi possint: ac propterea se dolere casuram aliquando florentissimam rempublicam.

## VI PARVA NON INVERTITUR.

Vt elephas animalium vastissimum **VI PARVA NON INVERTITVR** ita nec magna respub. quæque divitijs opulentia ac virtutibus floret: Hæc enim duo, tanquam columnæ eam, ne labatur, sustinent: Divitijs enim, ea quæ necessaria ad conservationem reipub. sunt: ut confœderati, annona, milites, & arma comparantur, ac incolarum virtute, ea quæ comparata sunt, in optimos usus vertuntur. Virtus autem una, non sufficit. Nam iustitia, fides, prudentia, fortitudo, ac temperantia requiruntur. Iustitia, ut inter populum æqualitas Geometrica & Arithmetica servetur, crimina puniantur, & bene de repub. meritis præmia dentur: Hac enim ratione pax servatur, & discordia, quæ cives perdere solet, prohibetur. Fortitudo, ut tum ad invadendos hostes, tum ad tuendâ rep. ac molestias quasvis ferendas, promptus sit animus. Fides, ut commercia tutò geri, ac quilibet securè de se vel suis rebus, quod volet, statuere possit. Prudentia, ut gerenda, quàm optimè gerantur, & vitanda, securissimè vitentur. Ac postremò, temperantia, ut malorum, rixarum tumultuumque causæ, quæ ex luxu ac ebrietate nasci solent, impediantur. Istis profectò innitens columnis respública Veneta, (ad quam proculdubiò direxit Aloysius Mocenigus hanc Hierographiam) **VI PARVA NON** facilè **INVERTETVR**. Non cadet enim (quæ jam aliquot centenis annis floruit) priusquam virtus exulet, crimina impunita mancant, ac potèntioribus peccandi licentia libera relinquatur, plebsque opprimatur, ac ad seditionem compellatur. Quæcunque enim respública diu stare vult, nulli rei magis, quàm ut probi tuti ab injuria & damno vivere possint, studere debet. Qui rempublicam perdi volunt, improbos inducant, qui luxu, intemperantia, perfidia, ac malis moribus, bonos corrumpant: sic enim brevè illius habebunt exitium. Perpendens itaque Mocenigus reipublicæ suæ, sibi commissæ, magnitudinem & potentiam, verè vi parva non facilè inverti posse asseruit.

## ALIIS INSERVIENDO CON-

### SUMOR.

Nicolaus de Ponte ad familiæ nomen, dum pontem pro Hieroglypto exhibet, appositè, quod cognomine, & re pontis instar sit, alludit: ut enim pons eorum à quibus calcatur pedibus, consumitur: ita & ipse reipublicæ suæ præfectus, dum eos, quos regit curare, ac justitiæ administratione, alijsque munij publicis inservire cogitur; se alijs inserviendò consumi verè asserit. Magnum enim onus est reipub. servire absque absolu-

ta, & regia potestate, interea tamen omnia ad commodum populi aptare debere. Laude quidem omni dignissimum cum boni principis suprema lex, salus populi esse debeat, sed quæ multa incommoda, & pericula secum trahat. Bellua enim multorum capitum est populus, quibus singulis diversa de rebus insunt judicia, & quod uni placet alteri displicet. His omnibus qui ut placeat, studet, non parum consumitur, animiq; & corporis vires frangit. Non mirum itaq; bonum hunc principem officio & vocatione sua strenuè fungentem, ostendere velle quid lucrì, & emolumentì oblata illi ducatus dignitas afferat: Nihil videlicet, quàm pericula, curas & sollicitudines, quæ vel interitum, vel varias animi, & corporis ægritudines inducunt.

### ULTRA NUBILA.

Vt navis tempestate jactata, tandem secundo afflante vento securo esse in statu videtur, ac ciconia ad altissima volatum dirigens, tandem etiam ultra nubila delata, neq; à pluvijis, neque ventis amplius quicquam perpeti potest: ita Pasquasius iste Dux à ciconia nomen familiæ suæ habens, ciconiæ exemplo egregiè ostendit, se ad summos quidem honores pervenisse, ac post varios fortunæ insultus, ea jam satis prospera frui: verùm nondum planè securum esse, ut casui ciconia ac vectura onusta navis antequam portum attigerit naufragio ac submergendi periculo exposita est. Has animi sui angustias, & curas Hieroglypto notat, ac nihil, in rebus humanis tutum, neminemque ante supremum diem quantumvis fortuna arrideat beatum dici posse significat. Laude propterea nō mediocri dignus. Nihil enim prudentius quàm omnes fortunæ applausus suspectos habere, & ita firmare animū, ut si velum vertat, noxa nō sentiat. Magnum quid videtur ad honores summos evehi, sed ut honos, ita onus crescit, & quantum honoris accrescit, tantum libertatis decrescit. Sic qui rebus, præficiuntur summum quidem locum summamq; dignitatem obtinent: verùm ingenti adjuncto onere, dum omnibus ac singulis reipub. membris regendis occupantur, ac rectè ut figura indicat onerariæ navi similes sunt, quæ, quo amplior eò plura in se recipit, ac quo plura, eò oborta tempestate majoribus periculis exponitur, ac facilius undis (ni se citò exoneret) obruitur. Libertatis jacturam capere illos, qui summa in dignitate constituti sunt, notum est. Vix enim animum à curis relevare, rebus domesticis, liberisq; bene educandis, ac valetudini curandæ operam dare illis licet. Hæc omnia, qui nescit, si desint, libertatem minuire, vix sapit. Valeant itaque honores tot periculis ac  
 incommodis venales, ac mediocritas in  
 rebus omnibus quærat, & sufficiat.



MAGNI DVCES ET DVCES ITALIAE 17

Jacobus Foscarius Venetorum  
Reipub. Dux 88.

Marinus Grimanus Venetorum  
Reipublice Dux 89.



Duces Mediolanensiu

Ioannes Galeatus Vice Comes Mediolani Dux  
7. Comes Virtutum.



Ioannes Maria Vice Comes Mediola:  
ni Dux 7. Comes Virtutum.

Philippus Maria Vice Comes Medio:  
lani Dux ultimus ex Vice Comitum.



## SOLA MIHI REDOLET.

Fasciculus florum Hieroglypto exhibitus, varias & diversas respublicas in hoc orbe constitutas designat: quæ etiam si floreat, ac opulentia, bonis legibus, alijsque ornamentis celebrentur, ac cuius placeant. Tamen ferè semper ea in qua quis natus, & educatus est, cæteris gratior, ac acceptior esse solet, Imprimis autem tum, cum in ea non solum comoda vivendi ratio, verum etiam præcipuus dignitatis gradus habetur. Id quia Iacobo Fossario contigit, quid mirum illi rempub. suam tam celebrem, tam bene constitutam, tam antiquam, tam claris viris omnique disciplinarum genere ornatissimis refertam, tam augustijs palatij ornata, ac denique omni rerum abundantia tam affluentem præ cæteris, quas longis parasangis præcellit, redolere & placere. Hunc animi sui affectum, hac Hierographia palam omnibus aperire voluit, eaque ratione se quodammodo gatum patriæ suæ esse ostendere. Gratitude enim est agnoscere acceptum beneficium, quod rependi non potest.

## SYDERA CORDIS.

Serenissimi istius principis Symbolum cum Hieroglypto parum convenire, ac Symbolum vix explicari posse, videtur. Quid enim sydera cum Leone, & quid cor cum syderibus conveniens habet? Cor profectò nullis syderibus, sed cælum tantum ornatur. Verum prudentissimus princeps abdita animi sui non cuius fortasse patere voluit, sed ijs solummodo, qui occultiori philosophiæ se consecrarunt, ac mysticum Hierographiarum sensum consequi valent. De microcosmi enim syderibus hic agitur, ac analogia majoris mundi cum minore (homine videlicet, qui microcosmus vocatur) ostenditur. Ut enim in majori mundo Sol suo calore, & spiritu omnia fovet, ac syderibus omnibus lucem (philosophorum omnium sententia) tribuit: ita microcosmi Sol (id est cor hominis) caloris omnis, & vitalis facultatis fons, ad cerebrum (microcosmi cælum) ac principes facultates intellectum & ratiocinationem, suos radios seu spiritus mittit: ut principum facultatum meliores habitus, id est virtutes (quæ microcosmi sunt sydera) illustrentur. Quæ verò sint ista sydera, vel virtutes? Hieroglypton indicat, ac præcipuè crux leonis anteriori pede præmonstrata, scopusque aliarum virtutum omnium, vera nempe religio. Nam virtutes, ut constantia, fortitudo, liberalitas ac magnanimitas, Leone S. Marci Venetorum patroni designantur. Mysticè itaque ostendere princeps hac Hierographia voluit, veram Christianamque religionem, & virtutes omnes, præcipuè autem animi fortitudinem, & constantiam, desideria & sydera cordis sui esse, ac optatam quam cupit contingere metam. Augustum me hercule propositum. Ut enim nihil maius religione, qua Deo alligamur, ita nihil optabilius, quam rationem habere, ac modum virtute comparatum, quò ejus connexu & unione frui liceat.

## HUMENTIA SICCIS.

Exhibetur hic arboris truncus viridis, cui ignis substratus, & duæ  
situlæ

190

fratæ aqua plenæ appensæ sunt. Quibus haud dubiè indicare voluit Iohannes Galeatius; se omnibus in rebus moderatione uti, & temperantiæ studere, ac animi affectus omnes, præcipuè verò iram, & libidinem, quæ igni optimè comparari possunt, ratione, ut aqua ignis vehementiam temperat, compescere. Quod certè animi propositum in viro magno, & principe summopere laudandum est, ac ab antiquis non parum celebratum. Extat apud Livium præclarum Scipionis Africani exemplum. Qui Carthagine in Hispania capta, virginem captivam elegantissima forma ad se perductam, Romanorum hosti & principi desponsatam, Sponso sanctè servari, ac restitui cum dote iussit. Qua temperantiæ ac munitentiæ fama, magnæ Hispaniæ partis studium & favorem sibi conciliavit, ut inde amica Romano populo fuerit. Iulius Cæsar etiam iram comprimere, ac ratione extinguere potuisse scribitur, ut nullius rei illum oblitio citius, quàm injuriarum (quæ irarum fomites esse solent) caperet. Vtilis itaque est omnibus in rebus moderatio.

### HUMENTIA SICCIS.

Similis omnino hæc Hierographia præcedenti est. Ob id ab ea ejus interpretatio sumi potest. Vt itaque præcedens moderatione omnibus in rebus opus esse docet: ita hæc. Moderatio autem imprimis illis, qui alios regunt, convenit. Qua sæpissime etiam contra sanctas leges, quod æquum est, distribuitur, ac observatur: Est enim æquum aliquid justo majus & correctivum ipsius, propter circumstantias, quæ positum justum immutant. Hinc proverbium: summum jus summa injuria; dum videlicet nimis strictè observatur, neque pro eorum, quæ incidunt, natura, moderatur ac corrigitur: Quid enim si statutum sit, eum, qui noctu gladium gerit, aut sclopeto plumbeas glanges ejaculatur, capite plecti debere: æquumne est peregrinum, qui legem ignorat ac primùm urbem ingrediens in legem peccat, capitis damnari? Nemo sanè, nisi mente captus dixerit. Vir enim prudens & æquus, reum venia, ob ignorantiam cuius causa ipse non fuit, dignum esse, ac id æquitatem postulare, quæ legem ita moderatur, neminemque absque culpa puniri vult, censebit.

### VEL IN ARA.

Non puto hanc Hierographiam à Galeacio Maria fuisse editam, sed ab alio quopiam, si vera sint, quæ Paradinus refert: Scribit enim Galeacium ita libidini fuisse deditum; ut virgines ac honestas matronas vi comprehenderit, & violârit: eaque Tyrannide sibi omnium odium ac præcipuè eorum, quos lædebat, ita comparasse, ut Andreas quidam Lampaganus ab illo graviter offensus, in ejus mortem socijs nonnullis sibi adjunctis conspirârit. Quia verò principis majestas postquam sæpius cædem cum socijs proposuisset, illum à cæde facienda terrebat, & prohibebat: ut intrepidus, ac ad facinus perpetrandum audacior esset, jussisse sibi ad vivum in tabella imaginem principis depingi, ad quam aliquoties in die, ac cum luberet, pugionem adigebat. Tandem cum frequenti & quotidiano adactu, jam sibi audacior videretur, socijs acceptis, templum, ubi princeps erat ingressum fuisse, ac illum colloquij quasi causa per satellites accedens, pugione

gione subito interfecisse. Hæc profectò historia, si vera est, satis declarat, neq; interfectum Galeacium hac Hierographia usum fuisse, neque etiam interfecti filiū vel nepotem Quicumq; itaq; is fuerit, vel indicare ulciscendi cupiditatem voluit, vel in patriam studium, Mutij Scævola exemplo, qui vel in ara hostem suum si sese obtulisset occasio, trucidasset. Gloriosum enim est patriæ hostem trucidare. Hostes patriæ sunt, qui patrias leges, & patriam religionem, extinguere, delere, vel mutare volunt. Pro his pugnandum dum vires valent, dum deficiunt aut ceciderunt, cedendum potiùs, fatius enim est partem patriæ, quàm nullam superesse.

### BATTI TUTTI SE NON GUASTA.

Imperantis vel consulentis est Symbolum. ait enim: Feri omnes, si nō, destruis. Obelisci sunt lignei, quos feriri omnes vult Mysta; Erecti enim collocantur: ut deiciantur à ludentibus. Interdum omnes deijci, ut vincatur, & numerus dejectorum vincenti propositus compleatur, debent. quod ni fiat, & ne unustantum supersit, amittitur victoria. Obeliscis autem Mysta inimicos, & in necem, vel detrimentum suum confederatos, intelligi vult. Quos vel non laceffendos, vel omnes opprimendos utile esse securitatis causa arbitratur. Crudele quidem & parum Christianum consilium (si hoc modo Symbolum interpretari velimus) sed quod in rebus politicis utile & necessarium videtur. Paucorum enim interitu sæpe multorum cavetur, ac reipub. tranquillitas conservatur. Huiusmodi consilium à Turcarum Imperatoribus observatur, ad tyrannidem enim erecti, fratres, quosque ad regnum fas habere putant, necari omnes; ut superstites, ac à nullo laceffiti regnent, jubent. Absque tamen periculo, huiusmodi animi propositum exequi non licet: Quia multoties, qui inimicos aut hostes suos delere omnes conatur, non potest, vel quod non omnes norit, vel quod crudelitate illa, hostium amicos sibi hostes faciat, atque hoc modo inimicorum insidijs se exponat, ac in alios constitutam necem in se transferat. Eleganter periculum hoc (si Christianè Symbolum explicare velimus) insinuare Mysta videtur: dum ait: omnes feriendos aut rem malè geris non sufficit enim conatus, ut res bene geratur. Quia si unus superstes manserit, is aliorum necem ulcisci, hostibusque multum negotij facessere poterit. Omnes itaque deijciendi aut delendi sunt. Verùm quia id difficulter & non sine summo periculo fieri potest: Quid aliud inferre licet, quàm Symbolum obliquè innuere: hostibus parcendum, Deoque soli vindictam relinquendam esse, Mystæque propositum pium esse. Christianus enim fuit, Proinde nihil æquè Christianum piumq; Principem magis decet, quàm hostes non lædere vel laceffere.



Franciscus T. Sfortia Mediolani Dux III. Marchio  
Anconę Comes Rotunats. et  
Aglarie



Galeatus Maria Sfortia Mediolani  
Dux V. Comes Rotunats. Mar Anconę

Bona de Sabaudia Galeati Marię  
uxor. Ducissa Mediolani.



Ioannes Galeatus Sfortia Galeati  
filius. Mediolani Dux VI.

Ludovicus Morus Sfortia Mediolani  
Dux VII.



## QUIETUM NEMO IMPUNE

LACESSET.

Franciscus Sfortia dux Mediolanensis, cum ducatus possessionem ad se hæreditario jure per uxorem Blancam vicecomitissam devolutam, accepisset, ac turbulentum reipublicæ statum armis ac vi compescuisset, munitionemque firmissimam Portam Ioviam appellatam, tumultuum impediendorum, ac securitatis gratia extruxisset, militaribus insignibus venaticum canem clunibus insidentem, ac anterioribus pedibus insistentem, sub pinoque quiescentem appingi curavit, adjecto Symbolo: QUIETUM NEMO IMPUNE LACESSET. Quo proculdubio indicare voluit, se neminem laceßere velle: verum laceßitum, promptum se ad defendendum ac offendendum fore. Quod re ipsa Iovio teste præstitit, cum Renatum regem provinciæ, bello ad se imminentem, armis compesceret. Boni enim principis indoles est, neminem offendere, neminique vim aut injuriam inferre; verum in offendentes aut laceßentes graviter sevir.

## QUIETUM NEMO IMPUNE

LACESSET.

Differt hac Hierographia à priore, Hieroglypro non Symbolo. Nam hic canis inquietus, ac latrans in truncum arboris impetum facit, quem deijcere conatur. Inquit Mystra QUIETUM NON IMPUNE LACESSET. Trunco, se, qui quietus est, ac neminem laceßit, statumque suum satis firmum, ac canem, hostes suos notari vult. Hos non solum frustra in se impetum facturos, verum etiam defatigatos sibi ipsis nocituros, ac non impunitos mansuros Symbolo declarat. Ut enim nimio latratu defatigatur & læditur canis; ita etiam, quicumque potentem & quietum principem oppugnat, oppugnando suas atterit vires, ac tandem ijs deiectis, prostratisque, facile vincitur, ac stultitiæ temeritatique suæ poenas luit. Prudentiæ itaque est, quietos non laceßere, neque irritare crabrones, ne laceßiti damnum capiant, ac sui mali ipsimet causa sint.

## ME TRAHIT ALTUS HONOS.

Quicumque honori aram construit, id est, omnia sua eo dirigit, ut summos honores consequi possit, is facile honores nanciscitur, ac ijs attollitur. Dirigit is, qui virtutibus operam dat, omnibusque utilis prodesse studet, supremumque numen colit, amat, sibi que uniri cupit. Id approbat aurea illa Salvatoris sententia: Primum querite regnum Dei, & cætera adjicientur vobis. Tanta enim virtutis, ac pietatis vis est, ut eam honor tanquam umbra sequatur, ac vitium fugiat. Non mirum itaque Mystram, qui mentem suam cælestium rerum desiderio teneri innuit, (ut cælestis globus, & stellæ docent,) Symbolo asserere: ME TRAHIT ALTUS HONOS. Agnoscit enim divini amoris vim, qua ad perpetuos æternosque honores trahitur. Verum hi raro appetuntur, quod post hanc vitam tantum spes sit, eos consequi posse, omnes enim potius mundanis

23.

danis honoribus consequendis operam nauant, quia ob oculos versantur & in quotidiano sunt usu. Sed melior sanctiorque hujus principis sententia Christiano homini seruanda est; quia cœlestia terrenis, ac æterna interituris præfert.

## SOLA FACTA SOLUM DEUM

### S E Q V O R.

Plinio narrante Phœnix Arabiæ avis est. Vnus in toto orbe, æquilæ magnitudine, auri fulgore circa colla, cæruleam roseis caudam, pennis distinguentibus, cristisquæ faciem, caputquæ plumeo apice cohonestante, vivere annis sexcentis creditur, ac senescens castra thurisquæ furculis construere nidum, replere odoribus, ac superè mori. Ex ossibus deinde, & cineribus potiùs, nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pululum, & tandem adulescere. Vnicam hanc avem principissa Bona SOLA FACTA ob mariti obitum, imitari voluit, ac propterea se SOLVM DEVM SEQVI ad supremum usque diem phœnicis exemplo potiùs velle, quàm secundas nuptias celebrare, clarè Symbolo significat. Laudatur ob idem propositum Annia Romana, quæ cum hortaretur, ut vidua juvenis formosaque, iterum nuberet, respondit: se nolle. Quia si bonum conjugem, ut primum habere contigisset, perpetua si eum mitteret molestia victuram. Quod si contra in malum incidisset virum: nimium grave habituram illud malum, quod nulla necessitate cogente sibi ipsa peperisset. Valeria etiam Romana maior Messalorum fratrum soror celebratur; quod cum similiter hortaretur, ut secundò nuberet. Responderit, Seruium qui ejus vir fuerat, etsi alijs mortuus videretur, apud se tamen adhuc vivere. Non parvam itaque continentiæ, & pudicitæ laudem meretur hæc principissa, quòd vidua facta, nullum alium sponsum, quàm Deum velit, qui interire nunquam, ac perpetua fœlicitate eam beare potest.

## ESTE DUCES.

Ducum officium & munus est, gregarios milites in hostem ducere, ac factis industriam, fortitudinem, & peritiam rei militaris ostendere, ut sibi auctoritatem & obedientiam erga milites pariant, iisque animum, quo ad invadendum hostem, multò sint alacriores, faciant. Vbi enim conspiciunt ducem periculis se primos exponere, hostes aliquot sternere, ac coronas militares aliquot mereri, pudet propriæ ignaviæ, ac præcipites in hostes ruunt, vel vincere, vel mori cupientes. fas est itaque duces (ut Lancea in hostes præmitti solet) tum industria, tum rei militaris peritia, rerumquæ gestarum gloria (quæ coronis tribus notatur) cæteris militibus præcellere, ac rebus factisque, se veros duces esse docere. Hac enim ratione milites honoris & gloriæ cupidos, ac ad quævis audenda intrepidus faciunt. Dum enim gloriæ consequendæ studio inflammantur & tenentur, ac mentem præmiorum accipiendorum spe erectam habent, ultrò citroquæ sese in omnis generis discrimina præcipitant, ac præclare rebus gestis, coronas militares consequuntur, & ad majores dignitates promoventur,

moventur, tandemque exercituum duces creantur. Rectè itaque Myſta ſuos monet, ut duces eſſe ſtudeant, ac honorem & gloriam ſibi tanquam ſcopum proponant.

### SECURITAS ALTERA.

Canis plebis ingenium optimè refert. Vt enim canis mendicitate vivit, blandiendoque ſibi victam quæritat, alioſque canes & homines ab heri culina latratu, & morſu abigere, & arcere, dum ſibi præferri animadvertit, conatur: ita etiam Plebs: Potentiorum enim amicitias adulando commodi cauſa venatur, quas ſi conſequi cum fructu non poteſt, ac ſe deſpici, commodaque omnia ad præcipuos deferri, & ab ijs cum luxu conſumi, percipit, ſuæ pauperitatis pertæſa, ac magnatum fœlicitati invidens, latratu ac injurijs magnatum famam lacerat, ac morſu armisque illos ac totam rempublicam (ni compeſcatur) perturbat. Compeſcitur autem viri alicujus præſtantis & gravis oratione, legibus, pœniſque. Oratione etſi primus fervor plebis obtundatur; non tamen ſecurus redditur reipub. ſtatus, niſi legum vis adhibeatur, ac ſeditionum capita carceribus includantur, ijsque amplius nocendi occaſio præcidatur. Tum enim ſecuritas altera, & vera reipub. conſtituitur, Quæ pravos, legibus pœniſque ad officia & tranquillitatem reipub. ſervandam, cogit. V.

ibi libertas plebi nimia indulgetur, ibi viri boni ſervi, non liberi ſunt, & ab illis ſecuritas exulat.



Maximilianus Sfortia Mediolani  
Dux viii.

Franciscus ii Sfortia Mediolani  
Dux ix. et ultimus



Franciscus ii Sfortia Mediolani  
Dux ix. et ultimus.

Christierna Christierni Regis Danie  
filiæ Francisci ii. Ducis uxor.



Duces Sabaudie

Amadæus vii. Com. Sabaudie Dux Cabla.  
sive Auguste Pretorie Princeps Nole

Amadæus viii. Dux Sabaudie Cablasii  
et Auguste Pretorie Princeps Nole



BREVIS VITA MAGNA-  
NIMORUM.

Maximilianus Sfortia Mediolani Dux, hac Hierographia se ad res magnas gerendas animum quidem habere demonstrat; Verùm se animi desiderium explere non posse propter vitæ brevitatem: Ait enim: magnanimorum vitam brevem, ac Hieroglypto ostendit formicam, rem magnam, nempe cœlum petere. Magnanimum hercè animalculum, quòd pro corporis magnitudine majores vires habet, quam quodvis aliud animal, cuiusque vires, excedit animus, quo etiamsi brevissimæ sit vitæ, multa conatur: Rempublicam enim instituit: diligentia, cura ac labore, dum domicilia & horrea extruit, tantos interdum terræ acervos eijcit, ut vix quis credere possit, à tam exiguo animalculo assiduis laboribus tantum acervum congeri posse. Ut itaque tanti animi animalculo animus est ad cœlum repere, ac priusquam eò pervenire possit, vita deficiat; ita dolendum multos egregios viros, qui magna animo concipiunt, ut humano generi profint, è vita tolli, priusquam animi concepta ad optatum finem perducere possint.

SALUS ET VICTORIA  
NOSTRA.

Conspiciuntur hîc oleæ duo rami diademati inserti. Oleæ rami pacem, diadema regnum vel rempublicam, Symbolum reliqua exprimit: Ait enim: SALUS ET VICTORIA NOSTRA, intellige pax est in regno vel republica. Quia omne bellum quietis pacisque recuperandæ causa fit, quæ finis & scopus belli esse debet, nec non etiam victoriæ. Nam victoria obtenta pax restituitur, salusque reipublicæ. Hinc rectè Cicero: *Dulce est nomen pacis, res verò ipsa tum jucunda tum salutaris.* Et Silius Italicus:

*pax optima rerum,  
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis  
Innumeris potior; pax custodire salutem  
Et ciues equare potens.*

MIT DER ZEIT,  
id est:  
TEMPORE.

Tres in hac Hierographia visuntur rupes, ex singulis, singulæ enascuntur Palmæ. Media rupes, ut & palma cæteris procerior, adjunctæ à lateribus rupes, minores sunt. Germanicè Symbolum additur: MIT DER ZEIT, hoc est TEMPORE, quasi innuere vellet, tem-

let, tempore minores palmas fore æquales majori, quæ jam excrevit: Videlicet palmam majorem, quæ victoriam adeptam significat, jam esse constantem; reliquas verò speratas & imminentes mediæ similes, & constantes rupium instar fore. Admonet etiam Symbolum authorem non diffidere sibi, quin tandem progressu temporis de inimicis sit reportaturus victoriam: Tantùm patienter expectandum, donec palmæ excrevant, id est: tempus victoriæ occasionem maturam faciat.

## ACCIPIO NULLAS SORDIDA TURRIS AVES.

Inter Hierographias, quæ hoc volumine continentur, ineptæ hæc nihilque egregium continere videtur; Loquitur enim Turris, seque sordidam appellat, ait siquidem: ACCIPIO NULLAS SORDIDA TURRIS AVES. At quid hæc? nisi fortè ironicè Catharina (à detractoribus sordida appellata) se sordidam, quæ mundifissima fuit, vocet, ac se nullas aves, id est nullos leves & inconstantes moribusque incompositis homines, qui alijs malo exemplo sunt, ac ad vitia trahunt, in aulam suam admittere, indicare velit.

## FORTITUDO EIUS RHODUM TENUIT.

Societas annunciationis Beatæ Virginis ab Amadeo quinto Sabaudia Duce instituta fuit, huius societatis Hieroglypton, torques ex aureo funiculo his literis. F. E. R. T. insertis, fuit, quibus Symbolum exprimitur. Fortitudo ejus Rhodum tenuit. Refertur autem Symbolum ad Amadeum primum Ducem Sabaudia, qui æquites Rhodienses à Tyrannide infidelium liberavit. Amadeus Quintus cum societatem institueret, elegit socios quatuordecim, præcipuos suos nobiles. Amadeum Comitem Genevensem, Antonium Dominum de Geauzeu, Hugonem de Challon, dominum de Arley, Amadeum de Geneva, Ioannem Viennensem, Amiralium Franciæ, Gvillumum de Granzon, Gvillumum de Calamon, Ronlandum de Veyssy, Stephanum Bastard de La baume, Gasparum de Moneur, Barleum de Foras, Themardum de Menchon, Amadeum Bornard, ac Richardum Musard Anglum, Quorum singulis torquem aureum literis prædictis insertis, in memoriam primi Ducis, dono dedit.

## DUCTORE DEO.

Amadeus iste Sabaudia Dux, se ad Pontificatum DEO DUCTORE pervenisse ostendere voluit. Baculo enim, quo solent peregrinantes uti, cursum vitæ suæ, quæ nihil aliud, quàm vera est peregrinatio, demonstrat. Baculum sustinet manus è nubibus porrecta, nempe Deus, qui pe-

28.

qui peregrinantem ducit, vitamque ejus dirigit. Pileus autem baculo appensus, pontificatum, quem DEO DVCTORE consecutus est, adumbrat. Monemur hîc, ut nos, vitamque nostram Deo commendemus; bene semper speremus, neque præter modum solliciti simus: Quia ad vitam necessaria pater noster cœlestis nobis abunde semper suppeditabit: Ait enim Salvator;

primùm quærite regnum Dei, & justiciam ejus, hæc omnia adjicientur vobis.



ACCIPIO

FORTITUDO HILS RHODIA

DUCTORI DEO

*Eudonicus Dux Sabaudie II Cabla: syet Aug: Pratorie Princ: Pedem:*

*Amadeus VIII Dux Sabaudie III Cabla: et Aug: Pratorie Princeps Pedemont*



*Philbertus II Dux Sabaudie III Cab: et Auguste Pratorie Princ: Pedemon:*

*Carolus Dux Sabaudie V Cablasij et Auguste Pratorie Princ: Pedemon.*



*Carolus Ioannes Amadeus Dux Sab: Cabl: et Augus: Prator: VI Princ: Pedem:*

*Philippj Comes Baugiaci et Brixie tum Dux Sabaudie VII Princ: Pedem:*



## TRACTA MAGIS FERIUNT.

Obscurior hæc videtur Hierographia, verùm elegans est; Nam figuræ explent, quod Symbolo deest: ait enim Symbolum: tracta magis feriunt. (supple,) quàm fracta, aut decidentia: Arcus enim depingitur, cujus corda aut funis fractus, ac sagittæ fractæ, & decedentes apparent. Hierographiam hanc veram esse quilibet intelligit; verùm quo tendat author, difficile divinatū est; fortè hostium minas non ferire, ut gladium aut telum intelligit.

*Non semper feriet, cuicumque minabitur anus.*

Propterea minas leveſque injurias negligendas ac contemnendas esse: Magni enim hoc animi esse indicium, si quis ab exiguis non facile commoveatur, sed tum primùm, cùm honor, aut vita periclitatur, hoc est, cum verè feritur. Hujus animi, leo præ cæteris generosum animal, exemplum est: Vulneratus enim, observatione mira percussorem novit, & in quantalibet multitudine appetit: Eum verò qui telum quidem miserit, sed tamen non vulneravit, correptum rotatumque sternit, nec vulnerat.

## IACTÆ CRESCIMUS.

Exhibet hic Myſta projectiles ollas artificiali igne repletas duas, quæ in hostes, aut obsessas urbes ad incendia excitanda præiiciuntur: Hæ, quia flammam & ignem continent, ac is jaçtus vento agitur, aut in materiam cõbustibilem incidens, facile excreſcit, rectè Symbolo adaptatur. Quo author Hierographiæ, ignis instar, si varijs fortunæ procellis agitur, aut jaçtetur, se majorem indies futurum arbitratur: Viros enim fortes non deicit fortuna, sed exercet, ut ubi injurias paulatim remiserit, crescant, ac malorum perpeſſorum memores, majori studio & conatu se animo fuisse infracto, ostendant, nullamque calamitatem metuere, quam non forti animo ferre, & superare possint.

## PRÆSTANTIOR ANIMUS.

Quia proprium aquilæ est Solem posse innoxie inspicere, propterea pullos implumes subinde cogit ( ut inquit Plinius ) Solis radios intueri, & si conniventes, animadvertit, præcipitat è nido, velut adulterinos, & degeneres. Intuetur hic quidem Solem aquila; verùm iter sursum institutum relinquit, ac deorsum tendit, non quod Solis radios non ferat visus, sed quod corporis vires, ut Solem petat, non sufficiant. Hæc eleganter Heros iste Symbolo suo accommodavit: Ostendere enim voluit, se omnibus animi, & corporis viribus, ad res magnas, & sublimes tendere: verùm ad propositam metam & scopum pervenire non posse, corporis non animi defectu, quem præstantiorem & indefessum animadvertit. Is etsi absque corpore nihil præstare, ac corpus ad nutum regere non possit, tamen subinde ejus vires auget.

*Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit,  
Ille etiam vires corpus habere facit.*

Non

31.

Non tamen vires illæ animi appetitui, qui infinitus est, ac satiari non potest, comparari possunt. Consolatur itaque se, quod animus promptus fuerit, etsi corpus imbecille.

## NATURA MAJORA FACIT.

In confesso est, naturam majora facere quàm artem. Si quis dubitet, contempletur in Figura Oceanum, ejusque fluxum & refluxum: Aethnæ ignitas evomitiones, quæ interdum ingentia saxa, ad aliquot miliaria eijciunt: nubiū resolutiones, & imbres, quæ jugiter subinde universam provinciam per aliquot dies perfundunt, inebriantq;. Certè hæc nunquam ab arte fieri posse, quivis percipiet. Vt autem in his natura arti præpoller, ita etiã in ijs, quæ homini insunt. Fundamentum enim omnium artium, & virtutum natura esse debet. Nisi enim quis aptus sit ad artes, aut virtutes, rarò artifex, aut probus evadet. Educatio multum quidem potest, sed materiam tantum figuli instar à natura suppeditatam, efformat; quæ si inepta fuerit, nihil inde effinget. Hinc est, quod nonnullis videantur adnatæ artes, & probitas: alijs è contra neque educatione neque præmijs aut pœnis artes vel virtutes inseri possint. Vt autem quis illustris fieri possit, & clarus, educationi succedere debet fortuna, quæ efformatum educatione ornet, & laude, divitijs, honoribus &c. depingat. Quò author Symboli respicit, qui etsi bene educatus fortunaque accedente ad magna promotus sit: præcipuam tamen fœlicitatis partem à natura; quæ majora facit, quàm educatio & fortuna, se obtinuisse, insinuarè videtur.

## HÆRENT SUB CORDE

### SAGITTÆ.

Non videtur respondere Symbolum Hieroglypto obiter intuenti: Verùm si quis diligenter perpendere velit, eleganter convenit. Nam hîc nomine sagittæ telum non intelligitur, sed quod instar sagittæ procul pelli, ac ferire potest. Proiade tormentum bellicum è terra prominens exhibetur: cujus pars ( illa nempe quæ globum, aut id, quod ejaculari debet, continet) sub terra latitat. Vt itaque sub terra hæret, seu latitat jaculum, ita etiã magnanimus iste princeps indicare voluit; se quidem habere sagittas, aut rationes, quibus ulcisci, injuriam ac iram explere possit, verùm sub corde hære, quod iram comprimat, rectaque ratione frenet: Heroicum enim est, non solum hostes externos, sed etiã internos, nempe pravos animi affectus domare, & vincere. Inter hos hominirationali, nullus ira turpior est. Ira enim ratione caret, & furoris est initium. Hinc rectè Ovidius:

*Vince animos iramq; tuam, qui cetera vincis.*

Verùm ut ira absq; ratione beluina est; ita quæ loco & tempore sit ac ratione regitur, utilis est & necessaria, tum ad regendos subditos, tum ad compescendos hostes. Hæc sagittas sub corde latentes habet tamdiu, donec occasio offeratur: idque necessarium est principibus, ne temerè & impune ab hostibus vexentur.

D †

FORTI.

## FORTITUDO EIUS RHODUM

TENUIT.

Repetitur hîc Hierographia Amadei sexti Ducis Sabaudia; nisi quod hic serpens caudam ori insertam habens addatur, Serpens prudentiam, Vinculum concordiam sociorum, & literæ Symbolum explicant. Qui causam Hierographiæ intelligere cupit, legat quæ paulò antè scripta sunt.

\* \* \*

HIEROGLYPHICÆ

SAGITTÆ



Philbertus Dux Sabaudia Cablasij  
et Aug. Prator. viii. Princ. Pedemon.

Carolus iii. Dux Sabaudia ix Cab.  
et Augusta Pratoria Princ. Pedem.



Beatrix Emanuels Regis Portu.  
galia filia Caroli Ducis uxor.

Emanuel Philbertus Dux Sabaud.  
Cab. et Augus. Prator. x. Princ. Ped.



Emanuel Philbertus Dux Sabaudia Cabl. et Augus. Pratoria. x. Princ. Pedemon.  
Comes Asti. Nizza in Prouincia et Geneura March. Ital. et Zenua. etc.



## INFESTUS INFESTIS.

Elephas hoc habet peculiare, ut cum ovium gregem obvium habet, non solum non offendat, sed proboscide, qua manus loco utitur, hinc illinc oviculas amoveat: ut sibi viam faciat, easque non lædat. Generosus iste Elephantis animus causam præbuit Hierographiæ, quæ, elephantem sibi viam per gregem facientem, ne oviculas conterat, adjecto Symbolo **INFESTVS INFESTIS**, demonstrat. Vult autem author intelligi; se injuriam aut vim inferentibus infestum; quietis verò & benignis, mitem fore. Quæ certè virtus etiamsi quemlibet deceat, nulli tamen magis, quàm principi convenit. Hac enim amatur à populo, suoque loco dignus censetur; quod bonos tueatur eosque præmijs, ac honoribus ornet, malos verò puniat, & à repub. tanquam alijs infestos abigat. Qui principes subditorum facultatibus inhiant, ac minima data occasione, ad se trahunt, omnibus se exosos faciunt, & non durable regnum habent: Execrabile enim vulgò videtur, cum qui immensas habet divitias, non solum tenacem esse, sed innocentes, aut vix pœnam meritos spoliare.

## FIDE ET CONSILIO.

Elegans hæc est Hierographia & vera, quæ orbem fide contineri, & consilio regi, ostendit. Manus enim junctæ fidem, & angues consilium, vel prudentiam designant. Quantum valeat in repub. & consilij fides, sciunt politici omnes. Fides enim commercia firmat, sine quibus nulla respub. florere aut stare potest. Fides laborantem ac egentem remp. nutrit, & alit. Hanc si principes vel exercituum duces amittunt; præcipites ruunt, neque amplius se vel exercitum tenere, aut sustentare, deficientibus facultatibus, possunt. Ut autem in istis necessaria fides, ita etiam in consilij, quæ propalari non expedit, ac ad tuendam rempub. hostesque arcendos debellandosve instituuntur. Hæc enim, qui, contra fidem silentij datam, detegit, hostisque revelat, proditoris supplicium meretur.

Si quis Theologicè, fidei vocabulum explicare velit: conveniet optimè Symbolū Hieroglypto. **FIDE** enim, hoc est religione **ET CONSILIO**, id est legibus, quæ jurisprudentum consilio statuuntur, hunc orbem regi, certum est.

## CON ESTAS, id est: ISTIS.

Hierographia hæc inventa primò fuit à Ioanna Arragonensi, quam Romæ præsul quidam senex deperibat, cum autem ab ea repulsam pateretur, neque libidinem explere posset, amore in rabiem verso, prohibuit ne ædes suas egrederetur. Verùm illa mandato neglecto clam se Roma proripuit, ac Hierographiam hanc, amicis in signum evicti periculi, & victoriæ exhibuit. Exhibet autem leonem clunibus insidentem, pavidum ac à tribus facibus, quæ manu virginea continentur territum. Leo, qui (ut inquit Plinius) senex, primùm hominem adoritur, senem procum indicat, faces autem, quibus terretur leo vel senex procus, pudicitia, generositas & prudentia sunt, quæ decus muliebri conservant. Pudicitia infamia

famia arcetur, generositate infidiantes repelluntur, ac prudentia pericula caventur. Istis itaque tribus rectè se ferociam proci illudere gloriabatur, Cur autem hæc Beatrix eadem Hierographia usa sit, nescitur. Fortè Theologicè leone, Satanam designat, quem tribus facibus spe, fide & charitate domavit; ut diadema cœleste consequi posset: Vix enim credibile est, fœminam politicè hæc intelligi velle; nempe religione, justitia, & armis tanquam facibus, diadema seu regnum contra leonem, id est hostem, servari.

### INSTAR OMNIUM.

Quid sibi velit Emanuel Philibertus Dux Sabaudiaë hoc Symbolo, **INSTAR OMNIUM**. difficile est conjectu, præsertim quod ex Hieroglypto explicari, aut suppleri Symbolum non possit. Nam corona ex lauri frondibus, cum baccis exhibetur, ac in superiori parte rosa ex unionibus, qui gēnam circumstant, conspicitur. Nisi forè Princeps quemadmodum gemma ista precio, dignitate, elegantia & pulchritudine instar omnium unionum est: Ita etiam se **INSTAR OMNIUM** suorum subditorū esse innuat. Princeps enim caput est reip. & sicut à capite non solùm motus omnium membrorum, sed etiam sensus provenit: ita à principe salus & fœlicitas populi proficiscitur; ut rectè Princeps se **INSTAR OMNIUM**, à quo salus & fœlicitas omnium dependet, dicere possit: Sed fortassis corona hæc, quæ ducibus Romanorum triumphantibus dabatur, ex lauri folijs, huic Duci **INSTAR OMNIUM** aliarum est: Solebat enim dari obsidionalis, Duci obsidionem passò: Civilis, civem liberanti: muralis, primò murum scandenti: Castrensis, castra occupanti: & navalis, primò navem insilienti: Sed triumphalis tantum duci totius exercitus, qui victoriam obtinisset: Vt enim ille caput militum omnium & exercitus est, ita & corona ipsi data, **INSTAR** aliarum **OMNIUM** esse debet. Principes itaque rectiùs majora, eaque, quæ cætera comprehendunt, quàm viliora petunt.

### RECONDUNTUR NON RETUNDUNTUR.

Palo arma imposita cernuntur, inquit Symbolum: **RECONDUNTUR NON RETUNDUNTUR**: Retundi enim, aut negligi ne pacis quidē tempore debent: Opinione siquidem citiùs sæpe bella oriuntur, ac incauti & sine armis facilè superantur. Prudentes principes tempore pacis cogitant de bello, ac ita omnia parant, ut orto bello extemplò parati, necessarijs omnibus sint: Exemplum prudentiæ præbet Respub. Veneta, quæ à multis annis armamentarium celeberrimum totius Europæ in promptu, omni armorum genere instructū habet. Verùm non solùm armis prudens princeps, pacis tempore, sibi prospicere debet, sed thesauris, pecunijs, opibus, ac viris qui bella gerere possint: hæc enim nervum belli dicuntur vulgò constituere. Loca etiam, quæ ingressum provinciæ prohibere hosti possunt, tempore pacis, muniri vallis, fossis, aquisque debent: Hæc enim qui differt, donec bellum oriatur, sibi & tempus

pus

pus defuturum, ut rectè extruat, & curis expensisque nimis impeditum, id  
 exequi non posse, sentiet.


### SPOLIATIS ARMA SUPERSUNT.

Hieroglyphe proximè præcedenti similis est. Palo siquidem arma  
 sunt imposita, Gnome verò differt. Ait enim SPOLIATIS AR-  
 MA SUPERSUNT. Sed quo pacto spoliatis omnibus rebus, arma su-  
 peresse possunt? Superfunt sanè; quia furor arma ministrat. Ira, y indictæq;  
 cupido cudunt & offerunt arma. Ostendere itaque hac Hierographia  
 princeps voluit; nemini vim esse inferendam, victosque non esse terendos;  
 planeque opprimendos, sed sinendos, ut sibi parci putent: Si enim victi  
 omnibus exuantur rebus; animi angustia, egestas, dolor acceptæ ignomi-  
 niæ, ac desiderium recuperandæ libertatis, cogunt, ut pristinam libertatem  
 quærant, & quævis tentent potiùs, quàm ut miserrimè vivant. Ob id  
 principes semper metuere debent, oppressis rationem nõ defuturam, qua  
 se liberent. Satiùs itaque est, indulgere victis suarum rerum usum, quàm  
 penitus spoliare; ne arma, ut se ulciscantur, supersint. Innuitur etiam hac  
 Hierographia, potiùs debellandos quàm spoliandos adversarios. Spoliati  
 enim & non debellati data occasione vindictam illatæ injuriæ, ut dixi-  
 mus, capiunt. Sic Romani, qui ad furculas Caudinas omni-  
 bus rebus spoliati, ac sub jugum missi fue-  
 rant, paulò post injuriam acce-  
 ptam uli sunt,

★ ★  
 ★

Emanuel Philibertus Dux Sabaudiae  
cum uxore Margaretha.

Carolus Emanuel Dux Sabaudiae  
Cablasy et Aug. Prael. xi Princ. Ped.



Carolus Emanuel Dux Sabaudiae Cablasy et Auguste Prae;  
toriq. Princ. Ped. Com. Asti Niza et Gen. March. Italae etc.



Magni Duces Hetruriae  
Alexander Medices Florentiae Dux Primus.



## QVIS DICERE LAU.

D E S.

Quis dicere laudes, inquit Symbolum, supple, Margaritæ potest? Margaritæ autem uniones vocantur, ex quibus constat corona, Alludit ad nomen uxoris Princeps Emanuel. Sed unde laudari potest Margaretha? A fide, spe, charitate, pietate, & religione: Hæc enim crux illa indicat. Deindè à mundicie, simplicitate, pulchritudine eximia, quæ ab unionibus, aut margaritis indicantur. A regia majestate, quam corona ostendit, & ab elegantia, morumque comitate ac mansuetudine, qua hæc Ducissa ornata fuit. QVIS itaque DICERE LAVDES meæ Margarethæ potest: ait Maritus. Verùm & hoc modo intelligi Hierographia potest? QVIS DICERE LAVDES Margarethæ potest? quæ sincero puroque amore suum amat colitque Maritum, ac semper cordi inclusum conservat; Aut sinceritate puritateque cordis (quam uniones designant) crucem Domini Salvatoris ejusque nomen & memoriam in pectore gerit: Hebraicè enim E L Deum significat. Consecravit itaque uxori hanc Hierographiam, eiusque virtutem propalare voluit.

## NEC DEGENERO.

Vt arbores quædam fructiferæ inter alios fructus, interdum inspidos, exuccos, esuique inutiles ferunt: ita etiam parentes optimi aut prudentissimi ineptos, pravosque filios, genitoribus prorsus dissimiles. Proinde hac Hierographia Carolus dux ostendit; se à parentibus rerum gestarum gloria claris prognatum ab ijs non degenerare, sed animo moribus, ac virtute illis tam similem, quàm avicula ovo exclusa, progenitori suo; Hunc principes, qui parentes omnibus virtutibus ornatos habuerunt, imitari debent, ac parentum vestigia sequi, ne degenerent, ac indigni parentibus suis, ab alieno exclusi ovo videantur.

## PRÆMIO ET POENA.

Conspicitur hic palmæ & oleæ ramus diademati transversim immissus, uterque victoriæ signum est. De palma non dubitatur, sed de olea, qua tamen Plinio teste Athenienses victores coronabantur. Aliàs pacis signum est. Verùm ad Symboli explicationem parum refert, num pax, aut victoria significetur. Nam diadema regium, (quod regnum vel rempublicam designat,) sive id victoria partum sit, sive alio jure Principi advenerit: ut conservetur & floreat, præmio & pœna opus habet: Præmia enim invitant, incitantque hominem ad virtutem, pœnæ deterrent à vitijs. Si enim, teste Cicerone, in republica nec rectè factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis: neque domus, neque respublica stare potest. Nam boni & repub. juvantes, si desit præmium, eam negligunt, ac perire sinunt. Mali si impune scelera committi posse animadvertunt, tandem ea, quibus salus rei-  
pub:

39

pub innititur, aggrediuntur. Quos itaque ipsa natura retinere in officio non potest, ij magnitudine pœnæ, maleficio submovendi sunt. Sicuti in corpore, si quid ejusmodi est quod reliquo corpori noceat, uri aut secari patimur, ut membrorum aliquid potius, quàm totum corpus intreat: sic in reipub. corpore, ut totum salvum sit, quicquid est pestiferum amputari debet.

## IN VIRTUTE TUA. N.

Hierographia hæc nomini suo convenit: Sacra enim est, ac victoriam omnem numini ascribendam esse docet: Quid enim aliud designatur, quàm hæc oratio? O crux **IN VIRTUTE TUA. ΝΙΚΑΝ.** id est vinco, ac in victoriæ signum Lauream coronam consequar: Crucis enim signo non solum Sathanas eiusque machinationes coërcentur: Sed etiam hostes superantur, ut multis authoribus comprobari potest. Nicephorus enim Constantinum Magnum, bellum contra Byzantinos gerentem, & jam bis victum, in cælo crucem stellis formatam, hac inscriptione **IN HOC SIGNO VINCES** vidisse asserit: ac postridiè pugna innita, victoriam obtinuisse. Piè itaque veneratur hic Dux crucem, non propter figuram: sed propterea, qui illi affixus nos salvos fecit, ac virtute sua nobis victoriam, contra Sathanam, mundum & carnem præbuit.

## NON BVELVO SIN VINCER.

id est:

## NON RECEDO NISI

VINCAM.

Alexander iste, cùm Margaretham Austriacam Imperatoris filiam duxisset in uxorem, ac Thusciam æquissimè regeret, Sequæ optima corporis constitutione præditum animadverteret; voluit rebus bellicis se clarum reddere, ac gloriæ causa, pro parte Imperatoris se quodvis periculum subire, imò vel vincere vel occumbere velle, narrabat. Ad hunc scopum cum Hierographiam quæreret, nulla hac aptior visa fuit: Rhinoceros enim ad pugnam adnatis armis instructum animal, Elephantem aggredi solet, ventremque tanquam cæteris partibus molliorem cornu, quod in fronte vel tergo habet, petit, eo animo, ut non decedat à pugna, nisi elephantem prostraverit, & interfecerit. Ob id convenit Symbolum Glyphe, **NON BVELVO SIN VINCER**, hoc est, non recedam nisi vincam, Rhinoceros enim ( ut ait poëta ) nunquam victus ab hoste recedit.

## PREMITUR NON OPPRI-

MITUR.

Vt Sol planetarum omnium maximus, & anima quasi totius or-

E 2

bis tan-

40.

bis, tanto fulgore præditus, ut ubique præfens luce suo radijsque esse videatur, nihilominus tamen, objecto Lunæ corpore radios ad nos per aliquot temporis momenta mittere non potest: ita magnorum virorum animi, & studia, fortunæ injurijs, & calamitatibus, sic interdum premuntur, ut vix videantur posse emergere. Tandem tamen, ut Sol decedente Luna, pristinam faciem recuperat, suosque radios quoquoversum diffundit: ita etiam constantium Heroum animi ab infortunijs, ac calamitatibus liberati, veterem exercendæ virtutis, magnarumque gerendarum rerum consuetudinem recuperant: ut verè non oppressos, sed pressos tantùm se fuisse, dicere possint. Hoc Symbolum etiam pulchrè veritati accommodari potest: Veritas enim una est ut Sol: duplicia & multiplicia sunt veritati contraria. Vt autem Sol nunquam opprimi potest, sed tantum premi, cum videlicet Luna illi opponitur, ac impedit ne ipsius radij ad nos pertingant, ita nec Veritas, quæ etsi aliquando prematur, & cæletur: tempus tamen ipsam tandem in lucem profert, cujus filia esse dicitur.

esse dicitur.





MAGNI DUCES ITALIAE

Margarotta Austriaca Caroli V. Imp. filia. Alexandri  
Medices Duc. Flor. uxor.



Cosimus Medices Magnus Dux Hetururic primus  
Eques Aurei Velleris.



Cosimus Medices Magnus Dux Hetururic  
Mag. Magister Equestris orainis S. Stephani.



CUM PUDORE LÆTA FOE-  
CUNDITAS.

Fœminæ lætari fœcunditate solent, sed quo pacto illis pudori possit esse fœcunditas, ut Symbolum explicat, non intelligo. Nisi fortè dum uterum gerunt, aut prolem ad latera habent, ob memoriam sacrificij Deæ Veneri præstiti, dum soboli comparandæ operam navârunt, verecundia afficiantur. Verùm illas istius si pudet, nimis probæ sunt: quod peccatum in re honesta, & necessaria vereri videantur. Sed nonnullis mulieribus indoles, & ad probitatem propensio sæpetanta est, ut cohiberi non possit, ac ea quæ peccatis similia sunt, suspecta habeat. Excusetur itaque pudor istius Margarethæ, quæ læta fœcunditate, ut pavo, pullos sub alis, ita sobolem magna charitate tuetur & fovet.

CUM PUDORE LÆTA FOE-  
CUNDITAS.

Non differt hæc Hierographia à priore, nisi quod hic pavo erecta & in orbem expansa stet cauda, ac sub illo pulli. Pavone utitur, quòd reliquas aves pennarum pulchritudine admirabili superet, & quod fœcunda sit avis, utpote, quæ duodecim excludat ova, studioseque conservet, ne mas reperiat, ac incubandi desiderio frangat. Habet expansas plumas, ut pulchritudinem regiamque majestatem designet, quàm tamen cum pudicitia ac humilitate sustinet, Pudicitia nihil aliud est, quam pudoris incurrendi metus, aut pudoris evitandi studium. Pavo pudoris index: quia cum pedes intuetur, verecundatur, ac plumas demittit. Pià itaque hæc Margaretha se fœcundam magnaque dignitate præditam agnoscit, nec propterea se lascivire aut superbire; sed dona divina cum summa humilitate suscipere, pudicitiaque servare, rectè hac Glyphe, ostendit. Est itaque huic Margarethæ concordia formæ atque pudicitia sit. Alias rarò conveniunt: Nam ut inquit Juvenalis:

*Lis est cum forma magna pudicitia.*

UNO AVULSO NON DEFICIT  
ALTER.

Hierographia hæc facilis est, illi qui scit Alexandrum Ducem à Medicæ familiæ inimicis interfectum fuisse, Cosmumque ei successisse, qui principatum adeptus, hanc Glyphen edidit; ut hostes familiæ, Alexandro extincto, ejusdem prosapiæ non deesse, neque defuturos successores ad rempub. regendam, intelligerent. Habuit enim Cosmus tunc temporis numerosam sobolem, filiosque reipub. regendæ idoneos. Palma autem arbor præ cæteris electa est, quòd sit victoriæ signum, à qua, ut VNO ramo AVULSO NON DEFICIT ALTER, ita neque à pluribus alicuius principatus hæredibus, uno ab hostibus interfecto, vel extincto, alter deficiat, qui hostes punire aut vincere possit.

DUABUS.

## DUABUS. III

Vt duæ anchoræ naves ne à procellis marinis conuascentur, ac rumpantur, securas reddunt: ita leges, & arma rempublicam, ne à turbis; aut seditiõne perturbetur, aut subvertatur: Lex enim tanquam anima reipub. totum corpus ne morbosum, valetudinarium, ac male affectum reddatur, conservat. Ad salutem enim civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam ac beatam, conditæ sunt leges, ut inquit Cicero: Vbi leges non sunt, ibi probi, improborum libidini expositi, miseram trahunt vitam; ut apud Barbaros, inter quos potentiores legibus soluti, cæteros opprimunt. Præcipuus itaque scopus est legum, suos incolumes conservare, ac nihil nisi salutem, arque utilitatem reipub. proponere, ut ait Ovidius:

*Inde data leges, ne fortior omnia posset.*

Verùm non juvant leges, si arma & ministri qui illas exequantur, desint. Armis enim improbi & qui in legem peccant, aut rempub. perturbare studeant, coercendi sunt, & plectendi. Præstat, nullam condere legem, quam non tueri. Dum enim latæ non servantur, & legislatoris & legum autoritas diminuitur, ac improbotum peccandi audacia crescit, bonorumque vita majoribus periculis exponitur. Quo enim severiores sunt leges, atrociusque improbi puniuntur, eò securior, tutior, atque beatior bonorum vita redditur. Quid metuat probus severissimam legem, in quam peccandi non est animus: aut si peccet, se supplicio dignum iudicet?

## FESTINA LENTE.

Lentè procedit testudo: sed securè. Lentè ob onus & impedimentum, Nam domicilium adnatum secum fert. Securè, quod domicilium scuti instar sit, quo inter rupium præcipitia, si decidat vel saxis obruatur, tuto ire, & commorari mira naturæ providentia potest. Vt autem festinare videatur, velum appictum est venti afflatu turgidum. Nam testudinis moram lentumque processum insulæ mari innarantis gravitas, ostendit. Sæpius repetitur Symbolum hoc in libro, ac eum qui res arduas, & magnas fœlici cum successu gerere vult, neque festinanter, & inconsultè: sed lentè, ac expectata occasione facere debere, docet. Primùm enim quid agendum sit, deindè an fieri possit, cogitandum: Tum demùm quomodo fieri possit, consultandum, ac postremò rationes, machinæ, aut instrumenta, ad rem gerendam idonea, quærenda sunt: Hæc enim si quis diligenter perpenderit, ac in promptu habuerit, occasionemque rei gerendæ idoneam respondere animadvertit: non cunctetur ampliùs: (elapsa enim semel occasio rarè remeat) sed circumspicètè, lentèque festinet: Percipiet enim se desideratum, optatumque rerum suarum exitum, ac finem consequiturum.

FIDEM FATI VIRTUTE SE-  
QVEMUR.

Antiqui capricornum ita pingere solebant, ut terræ globum, re-  
rumque anterioribus pedibus, ac dorso cornucopiæ contineret. Qua  
figura nummos sculpi jussit Augustus Cæsar, qui Capricornum in horo-  
scopo, vel pro ascendente habuit. Etsi verò astrologorum judicia vana  
sint, vanaque plerumque promittant, quòd ex necessarijs causis, quinam  
contingentes effectus fieri debeant, præsciri velint: Nihilominus tamen,  
quia Dux eundem Horoscopum, cum Cæsare Augusto, ac Carolo Quin-  
to Imp: habuit, eoque die, quo Augustus victoriam contra M. Anto-  
nium ad promotorium Attiacum, obtinuit, eo etiam ipso, ille ad mon-  
tem Murtanum Florentinos vicit, ejusdemque ferè cum Augusto ætatis  
fuit: Non videtur ineptè usus hac Hierographia; qua astrologicis  
vaticinijs neque probatis, neque contemptis, se Horoscopi, &

FATI FIDEM ejusque promissa VIRTUTE

sua, non Cæli SEQVI, & obtinere velle o-

stendit: Major enim laus est, propria

virtute, quàm aliena, res

magnas consequi.



Cosimus Medicus Magnus Dux Hetrurie  
Primus



Cosimus Medicus Magnus Dux Hetrurie  
Primus



Cosimus Medicus Magnus Dux Hetrurie  
Primus



## DEI VIRTUS EST NOBIS.

Pij, & foelices illi sunt, qui in foelicitate, rerumque affluentia constituti Deum colunt ac venerantur, beneficijque ab eo accepti, memores quicquid boni, vel beatitudinis adipiscuntur, illi ascribunt. Hac pietate, Cosmum principem fuisse insignem, fidem facit; quod post trucidati fratris funera, ad imperium corona designatum invitis sicarijs, evehctus, crucis (id est) numinis vim sibi familiæque suæ Mediceæ, (quam aliquot globuli Hieroglypto inserti notant) adfuisse Hierographia testetur, & agnoscat. Hac enim non solum gratias numini à quo imperium accepit, dicit: verum etiam hostes bona causa destitutos, numinis metu, (quod à sua stare parte asserit) à vi injurijsque inferendis deterret. Arduum enim est contra stimulum calcitrare, ac contra eos, quos divina tuetur virtus, quid machinari, vel moliri.

## INTEGER VITÆ SCELERISQUE

P U R U S.

Venationis dea Diana, arcu pharetraque instructa, serpentem calcans pedibus, ac capricornum manibus tenens, conspicitur. Exhibetur capricornus; quia (ut præcedenti Hierographia notavimus) in Ducis horoscopo constituitur. Qui fortassis propter alias constellationes violenti quippiam Duci portendit. Verum quia animus prudens ab astris non regitur, fataque evitare & fugere potest. Propterea Diana cum serpente (id est prudenter) incedens, Capricornum (id est fatum) venatione captum, manu detinet, ne libertatem ad virtutem tendentis animi impedire, & iliudere possit. Hæc proculdubio Dux sibi applicare voluit, ac significare, se, quod INTEGER VITÆ SCELERISQUE P V R V S sit, fati minas non metuere, sed ratione, & prudentia vitam ita instituere, ac dirigere, ut quasi captum suoque arbitrio subiectum habeat: Sapiens enim dominabitur astris, vitæque integritas hominem ad foelicem optatumque finem deducere solet: Qui enim benè vixit, benè etiam mori solet.

## TUSCORUM ET LIGURUM

S E C U R I T A T I.

## SYLVA RENASCENS.

Elba insula in mari Tyrrheno sita, non procul à Plumbino Thusciæ promontorio Hieroglypton constituit. Huic ascriptum est SYLVA RENASCENS. Fuit siquidem hæc insula sylvis referta, ac præcipuè circa eam partem ubi Cosmopolis civitas exstructa, apparet. Hanc quia Thusciæ Dux à fundamentis ædificavit, ac egregiè munivit, facti illius memoriam posteris relinquere voluit. Eleganter sylvam renascentem appellat: non arboribus, sed propugnaculis ac hominibus, qui non solum se, ac ipsam insulam, sed etiam Thuscos, ac vicinos

47

vibinos Ligures adversus externos hostes defendere, ac securos reddere possunt: Eo enim loco sita est, ut ipsi Thusciam propugnaculi vice sit, ac invadentes Thusciam à tergo sit.

### SUPERABO.

Ut adamas fortitudine, patientia, & valore, reliquas gemmas superat: ita etiam Cosmus iste magnus Hetruriae Dux significare voluit, tribus annulis adamantibus ornatis, se operam dare, ut alios omnes principes fortitudine, patientia ac valore, hoc est, virtute, possit superare. Dignum certè tanto principe propositum: Fortitudo enim virum magnum imprimis decet; cuius munera præcipua sunt, mortis dolorisque contemptio: Robustus enim animus, & excelsus omni est liber cura, & angore, cum & mortem contemnit, & ad dolores ita paratus est, ut meminerit maximos luctus morte finiri; parvos multa habere intervalla; quietis mediocris nos esse dominos: ut si tollerabiles sint, feramus: sin minus, æquo animo è vita, cum ea non placeant, tanquam ex theatro exeamus. Patientia fortitudini tam similis, quam adamas adamanti: Viro enim forti adversa patienter ferre, utile est. Cujusvis enim doloris remedium est patientia: feras non culpes, quod vitari non potest. Valor, seu existimatio ob virtutes, animique dotes sequi hominem solet. Ea siquidem natura est virtutis, ut quemvis in sui admirationem trahat, magni fiat, & colatur. Porrò annuli adamantibus ornati se mutuo complectuntur, ac virtutes has ita junctas indicant, ut separari non possint. Adamantis verò fortitudo, qua omnes lapides & gemmas terere potest, ac patientia qua, igni ac ferro resistit, dignitasque, qua reliquas gemmas valore & æstimatione superat, cuius nota est; Ita ut rectè obscura hæc Hierographia hoc modo explicari possit.

### FESTINALENTE.

Iam aliquoties Symbolum istud quotidianum repetitur: **FESTINALENTE**, verum alia sculptura; hic enim delphinus circa anchoram, & remum repens, aut natans cernitur. Delphinus, Plinio teste, velocissimum omnium animalium, ocyor volucre, ocyor, telo, ac nisi multum infra rostrum os illi foret medio penè in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet. Festinationis itaque index delphinus, cumque lentè festinare, docet circa anchoram revolutio, quæ celeritatem lentam facit, & remus, qui remoram, aut si mavis moram indicat. Diximus antea prudentes eos esse principes, qui festinanter & lentè negocia magna gerunt. Hoc est, qui mediocritatem servant: oblatas occasiones non negligunt, ac nihil sine consilio aggrediuntur. Nam in rebus magnis memoriaque dignis, consilia primùm, deinde acta, postea eventus spectantur.

### HETRURIA PACATA.

Quid præstiterit magnus Dux Cosmus **HETRURIA PACATA**

CATA

48.

CATA, hac Hierographia ostendit: Ferociam enim Leonum, hoc est potentum, & luporum, (intellige) improborum, qui que turbata repub. bonorum opes consumunt, & perdunt, compressit, illorumque loco cornucopiae, id est rerum omnium affluentiam, & copiam induxit: Hæc enim pacem sequi solent. Tempore siquidem belli truces, ac inquieti, plerumque res gerunt, turbasque augent, & promovent. Rapaces fraudulentique ac avari luporum instar, in turbis prædam venantur, omniaque fursum, deorsum commovent, ne desit rapinæ occasio, Ita ut, boni, quod se à turbis excludant, illis contemptui, ac prædæ sint. Rectè itaque Hierographia significatur PACATA HETRVRIA leones, & lupos domitos, ac omnium rerum abundantiam, (quam cornucopia designat) pacis beneficio introductam esse.

★ ★

★



Leonora de Toleáo Magna Ducissa

Franciscus Medicus Magnus Dux

Hetruric Coam uxor

Hetruric secundus



Franciscus Medicus Magnus Dux  
Hetruric II et Eques Aurei Velleris



Joanna Imp: Ferdinandi filia  
Francisci Magni Ducis uxor

Blanca Capella Magna Ducissa  
Hetruric Francisci uxor



## FAMAM SERVARE MEMENTO.

Nulla est virtus quin viro maximè conveniat, illiq; ornamento sit: Fœmina ab alia virtute, quam à pudicitia vix laudatur. Hanc unicam si conservet, jam omnibus virtutibus ornata videtur. Hac si careat, cæteræ omnes virtutes, ut affabilitas, mansuetudo, comitas, ac parsimonia, quæ mulieres ornant, ita sordescunt & deturpantur, ut potiùs dedecori, & vitio, quàm decori sint. Quo enim affabilior impudica, eo sceleratior, ac ad decipiendos viros protervior, instructior, aptiorque judicatur; sic de alijs virtutibus censendum. Verùm non sufficit mulierem esse pudicam; Ita enim vivere debet, ut honesta habeatur, & putetur, Hoc est famam servare debet, omnesq; occasiones fugere, quibus suspitio impudiciæ incurritur. Pudicitie veræ exemplū morte sua exhibuit Lucretia Romana Collatini uxor, quæ à Tarquinio superbo, invita compressa pectus pugione, ne sceleris conscia fuisse crederetur, transfodit. Hæc sibi pro exēplari, & virtutis stimulo Leonora Cosmi uxor proposuit, ac si nō morte, vita pudica imitata est.

## PROSPERO MOTU.

Quis dubitat quin Mysta hic sibi gratuletur, quod triremis, sua suorumq; ope, contra fluctus & procellas (spectant enim vexilla puppim) ad optatum properet portum: Hoc est, quod ea quæ animo concepit, ac diligentia laboreq; ad exitum foelicem ducere studet, invitis malevolis, malaq; fortuna PROSPERO MOTU ad finem cupitum tendant, Ut triremis eorum quos continet diligentia, & labore, contra ventum, & fluctus marinos, satis prosperè desideratum sæpe portum adipiscitur: ita Heroës diligentia ac studio, non solum virtutem consequi, ac difficillima quæque ad optatum finem perducere possunt: sed etiam contra inimicorum & invidorum conatum, ad principatus dignitatem PROSPERO paulatim MOTU evehi. Diligentia enim ac studio, virtutis habitus comparatur, omniaq; impedimenta, & obstacula, quæ virtutis habitum, ac ne quis ad summa pervenire possit, prohibent, removentur, & superantur.

## LÆDENTEM LÆDO.

Magnanimi boniq; principis est, non solum neminem lædere, sed eos defendere, qui propter atatem, defectum rationis, ignorantiam, aut aliam causam se defendere contra improborum injurias & fraudes non possunt: ut sunt impuberes, ætate minores, viduæ, mente capti, surdi, muti, cæci, rustici ac exteri. Hi enim omnes pupillis comparandi sunt, ac à lege, & rege, nisi Barbarus haberi velit, defendi debent. Barbari siquidem, pupillos, viduas, rusticos ac reliquos, qui seipsos tueri non possunt, fraudibus, dolis, ac vi bonis spoliant, & in servitutem morte quavis deteriorem redigunt. Hos boni & magnanimi principes, ne in se numinis iram concitent, non imitantur: sed potiùs Ducem hunc Franciscum, qui lædentem tantum lædit, ut ruscus vel Taxus arbor. Hæ enim folia ita spinis horrida habent, ut ramum, aut folium ab illis illæsus nemo decerpere possit. Magnanimum itaq; non solum hujus Ducis est propositum, quod eum tantum læ-

51.

rùm lædere velit, à quo læditur; sed etiam necessarium, ut authoritas, ac  
majestas ipsius non labefactetur, sed conservetur.

### AMAT VICTORIA CURAM.

Mystra mustelam in arenam profert, quia cùm procul odore Bufonem sentit, rutæ ramusculum quærit, eoq̃ue arrepto munita, bufoni obviam it, ac odore herbæ, quæ venenis omnibus medetur, enecat, aliàs habitu Bufonis interitura, tanta inter eam, & inimicum est antipathia. Voluit Hieroglypto Mystra significare, non solum prudentia, contra eos, qui vel statum vel personam suam lædere vellent, se defendere velle, sed etiam cura ac diligentia, inimicorum suorum technas & machinationes facile mustelæ instar eludere, vincereq̃; posse. Vix profectò aliud maiorem curam, & diligentiam requirit, quàm victoria, sive quis inimicos, & hostes, sive pravos improbosq̃; , animi affectus, ac vitia superare contendat, neque enim minor laus est, internos quàm externos hostes vincere. Interni siquidem perpetuò nobis insidiantur, & incautum feriunt; ut ira, ac libido, quæ nisi summa cura, diligentiaq̃; coërceantur, facile rationis imperium contemnunt. Imprimis autem cavendum, ne vitia in consuetudinem veniant, summaq̃; cura, & studio virtutes, quæ illis opponuntur, assiduè ita exercendæ sunt, ut in habitum transeant: Hac enim ratione, victoria, cura & diligentia obtinetur. Ad externos superandos hostes, non minùs curam, quàm diligentiam desiderari, norunt belli duces.

### GARRULA ET VADE.

Non dubium quin hæc Hierographia in garrulos, & detractores aptata fuerit, qui nempe verborum copia sapientiæ opinionem apud indoctiores, & leviores homines venantur, aut bonorum hominum famam lacerant, & ex alienis vitijs laudem quærunt. Vtrumque sanè vitium execrandum, aulisq̃; principum familiare. Ibi enim illi qui audaci quadam dicacitate alios superant, prudentiores doctioresq̃; judicantur, & habentur, quiq̃; aliorum vitia recensent, ac carpunt, virtutem amare, & habere putantur. AEgrè profectò sapientes, & boni viri tale iudicium, cùm vitium pro virtute habetur ferunt. Sapientes loquacitatem odio habent, pauca loquuntur, & necessaria tantum, potiùsq̃; silent. Tacendo rarò peccatur: loquendo sæpissimè, ut inquit Horatius:

*Sed tacitus pasci si posset corvus haberet*

*Plus dapis, & rixæ multò minùs invidiaq̃;*

Boni aliorum vitia tegunt, ne si propalent, invidiæ notam sibi inurant. Garrulos itaque, & detractores Ioannam, Imperatoris Ferdinandi filiam, ac Francisci uxorem, odio persequutam fuisse, ac à se abegisse, facile tum Symbolo tum Galerita avicula manifestum fit. Galerita enim, nubibus volatu inhærens, totos dies æstate garrit, ac Syblum ut absoluto inutili garritu decedat & vadat, præcipit.

### AUDE ET FIET.

In hac Hierographia una Venus, unusq̃; amor aut Cupido apparet.

Platoni duæ sunt Veneres, ut & geminus amor, una & antiqua & sine matre Venus cœlo nata, quæ cœlestis Venus nuncupatur. Altera junior est Iove, & Dione progenita, quam vulgarem communemque vocamus. Amor eadem ratione, alius cœlestis, alius vulgaris; nunquam enim absque Venere amor est. Cœlestis amoris officium est, æterna, & summum illud bonum amare, ut haberi possit. Habetur autem ab ijs, qui omnes animi vires, ut id consequi possint intendunt. Vulgaris amoris officium est, terrena, caduca, & mortalia amare, ac desiderare, quæ varij generis sunt, alia enim honesta, alia inhonesta sunt. Inter honesta censentur, artes, scientiæ & similia, quæ tum propter se, ac ipsum honestum, tum propter utile amantur & expetuntur. Inter inhonesta sunt voluptates, quarum amor turpis habetur. Hanc Hierographiam cum Symbolo sive quis velit cœlesti Veneri, aut amori, sive terreno, applicare, perinde est. Quicquid enim amat ac expetit humanus animus, id facile si sibi confidat, aptisque rationibus aggredi audeat, sciatque, consequitur: Labor enim improbus omnia vincit, ac audaces fortuna juvat. Id profectò docent sancti viri, & martyres, qui divino amore pleni, extrema quævis passi sunt, ut summum illud bonum consequerentur. Id etiam artifices manifestum faciunt, cum ad artes, aut scientias summa cupidine impulsæ, nocte dieque sudant, ut summam illius cognitionem adipiscantur. Amor difficultates, & pericula omnia, Veneris svasu, contemnit. Verenti enim obstacula, non datur ad metam aditus. Propterea inquit Symbolum: AVDE ET FIET, hoc est: si quid ames, aude; fiet enim, ut re amata potiaris. In Veneris amoribus præ cæteris audaciam rarò audentem fallere, cuius notum est. Ad hunc non dubium est, quin Blanca respexerit, sibi que ipsi gratuletur hac Hierographia, quod audaciam fœlici successu sibi profuisse cognoverit. Alios itaque ut audeant exhortatur, ac compotes optatis fore si pareant, promittit. Ait enim AVDE ET FIET. Fuit illa nobilis & patritia Veneta, ex illustrissima prognata familia, eximia pulchritudine prædita, ac altera Venus, quæ Franciscum Ducem in sui traxit amorem, ac ita Cupidinis jaculis ferijt, ut saucius, nullam, nisi à se, cujus jussu jaculum immissum fuerat, medelam acciperet: quam illa tandem illi perpetua vitæ consuetudine obtulit, Sacramento firmavit ac servavit, donec concordem animum infœlici, ac simili fato simul redderent. Hoc audaciæ ultimum fuit præmium.



*Ferdinandus Medices, Magnus Dux Hetruriae tertius Magnus  
Mag. Eques. Suis ordinis S. Stef. Eques aur. Vel.*



*Nicolaus III. March. Estens. et Ferraric  
Dns. Modenc. Parme. Regj Forli et Rom.*

*Leonell March. Estens. et Ferraric Dns.  
Modenc. Regj Forli et Rom. fil. Nicolai.*



*Borsus Dux. Modenc. Regj et Ferraric T. Marchio Estensis. Comes  
Romj. Fil. Nicolai.*



PISA IN VETUSTÆ MAIESTA-  
TIS MEMORIAM.

Pisa olim respublica libera fuit, multaꝓue bella cum Florentinis ruendæ libertatis causâ gessit. Cùm libera esset, monetam cudit, postea cum à Florentinis subacta fuisset, hoc jus illi ademptum fuit. Id iterum restituit Ferdinandus Medices ad Ducatum evectus, IN VETUSTÆ MAIESTATIS MEMORIAM. Restitutionis beneficium hoc nummo agnosci voluit.

MAIESTATE TANTUM.

Inter omnes Hierographias, vix alia boni principis officium meliùs explicare videtur: Cernitur enim hîc rex apum in examinis medio, forma egregia, duplo ceteris major, in fronte macula, ac diademate candicans. Huic omnes parent apes, maiestateq; tantùm illius reguntur; non aculeo, quo carere, aut non uti constat. Mira omnium circa eum obedientia. Cum procedit, una est totum examen, circaꝓue eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cùm apes in labore sunt, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Vt itaque apum imperator, suos maiestate tantùm, non aculeo regit: ita bonum principem decet, potiùs benignitate, affabilitate, comitate alijsq; virtutibus, suos ad obedientiam allicere, & regere, quàm severitate, minis ac verberibus ad nutum cogere: Hoc enim Tyrannorum est, qui nunquam durable regnum habent. Quia enim multos sevitia lædunt, ac nemo injurias illatas inultas finit, oblata minima ulciscendi occasione de statu deiciuntur. Hinc Seneca:

*Victima haud ulla amplius  
Potest, magisque opima mactari Jovi  
Quam rex iniquus.*

Id contigit Tarquinio superbo Romanorum Regi, ac Tyranno postremo, ob vim Lucretiæ, ac injuriam Collatino eius marito illatam. Studeant itaq; principes ut clementia non sevitia regant, amentur, non metuantur. Qui metuuntur, multos metuant necesse est.

*Qui sceptrâ duro sevus imperio regit,  
Timet timentes, metus in authorem redit.*

Ac nusquam tuti, aut securi sibi videntur. Qui amantur, sine custodibus, & armis tuti sunt.

IN FIDE ET JUSTICIA FORTI-  
TUDO.

Inter gladium, & clavem consistit columna fluctibus impetita. Gladius justiciæ, quòd eo fontes plectantur: clavis fidei, quòd illi thesauri credantur; ac columna, quæ undarum fluctus sustinet, fortitudinis argumentum est. Ait Symbolum IN FIDE ET JUSTICIA FORTITUDO, (supple) ad ferenda adversa, continetur. Rectè quidem: Fides

Fides enim, & iusticia, non solum fortitudinem, sed omnes alias in se complectitur virtutes. Fides autem hic non solum pro confidentia: sed etiam pro vera religione accipi potest. Hanc fortitudinem in se continere, aut parere, tot docent martyres, qui pro ea tuenda, quævis tormenta ferendo sanguinem magna constantia, animique fortitudine profuderunt: Vera enim fortitudo est, omnium rerum terribilissimum, mortem nempe, ac immensos cruciatus, quibus illa infertur, non metuere. Iusticia non minus fortitudinem continet. Sive enim justus tueri iusticiam contra improbos, sive eam exequi, & fontes punire velit; fortitudine opus habet, ut quasi leo confidens absque terrore, (ut inquit Salom. in Proverb.) quod iusticiæ munus exigit, faciat: Hac si destituatur virtute, justus esse non potest. Aptè itaque Mystra IN FIDE ET IUSTICIA fortitudinem esse ait, easque sibi colendas tanquam reipub. bases, & sine quibus nulla respub., nullumque regnum diu stare potest, proponit.

### NIL AMABILIVS.

Hinnulus Solem intuerur, ac NIL inquit esse AMABILIVS. Verè profecto cum nihil, augustius, utiliùs, admirabiliùs, ac propterea amabilius in toto hoc universo Sole sensibus appareat: Luce enim, splendore, ac radijs totum orbem illustrat, complectitur, ac coloribus ornat: Calore movet, generat, fovet, nutrit, ac conservat cuncta; ut rectè mundi anima, vitæque fons à multis dicatur. Sine illo horrent frigore cuncta, gelaescit aqua, intereunt vegetabilia, extinguuntur animalia, quiescunt omnia, ac tenebris obruta non esse videntur. Admirabilis est magnitudine: plus centies enim, terræ globo demonstratur major. Admirabilis motu: singulis enim horæ minutis proprio motu plura quàm decem miliaria Germanica percurrere à Geometris ostenditur. Admirabilis splendore; quod à terra pluribus, quàm nongentis mille miliaribus distans, non solum tam procul omnia illuminet, sed etiam obstacula omnia, ut nubes, ac angulos quosvis abditos, minima data rimula penetret. Admirabilis etiam calore, quia tam procul distans, ita omnia æstate calefacit, ut interdum offendat. Hujus lucem, & calorem, nullæ faces, nullus ignis, etiam si ingens urbs aut tota provincia conflagraret, imitari potest. Non mirum est itaque animantibus, Sole, à quo omne beneficium habent, NIL esse AMABILIVS. Verùm Mystra hoc Sole, quem Hieroglypton exhibet, alium notat, cujus intuitu NIL AMABILIVS esse asserit: Videlicet conspicui Solis patrem, & creatorem Deum ipsum. Qui tot intervallis, hunc superat, quot lux ipsas tenebras, ac pictor imaginem. Hunc intueri summa fœlicitas, summumque bonum, ac supremum beatudinis culmen, immensum, ineffabile, omnemque sensum superans, est.

### NEC IGNE NEC FERRO

Primus iste Ferrariæ Dux constantiam sibi proponit colendam, virtutem sanè principe dignam, imprimisque convenientem. Id Adamas gemma indicat, quæ ab igne consumi nullo tempore potest, ac malleum, ut vulgi opinio est, perfert, neque ab eo icta disfringitur. Quæ opinio etsi falsa sit: tamen quia vulgò vera habetur, rectè inseruit Symbolo. I-

gnem innoxie ac constanter ferre notissimum est Spagiris, à quibus si nube infecta fuerit: ex stibio per se Mercuriali præparata lympha, ac Phoebeo inclusa Thalamo, illiq; immersa, Vulcanoq; ignita, nitorem eximium, concipit, ac artificem ditat. Ut itaq; adamas ignem, quo nihil vehementius est, constanter perfert, ac igne purior, & sincerior redditur: ita principes viri, cum res magnas, & arduas aggrediuntur, constanti animo illas gerere nullisq; rebus adversis perturbari, aut frangi debent: sed contra ut illustriores fiant, audentius ire. Cavendum tamen à pertinacia, quæ constantiam fronte mentitur; Verùm vitij infervit, ut constantia virutibus; Multi specie illius decepti, non laudem, sed vituperium sibi pepererunt.

### UTRUMQUE.

Difficile divinatu quid sibi primus Marchio Estensis hac Hierographia proposuerit. Verisimile est, quia poculum aureum fructuum copia repletum apparet: Se **VTRVMQUE**, videlicet divitias rerumque copiam, statui suo procurare voluisse. His enim majora, nemo à principe suo optare potest. Rerum copia, hominum industria & artificio comparatur, quæ divitias pariunt; utriusque verò parens, pax & reipub. tranquillitas est, cujus studiosissimus princeps esse debet. Qui enim bellis delectatur, ac pacem, quam posset habere, negligit, sibi nihil commodi parit, subditisq; quietem ac securitatem omnem aufert, illorumq; necem procurat, regnumque flagitijs replet. Belli enim tempore silent leges, ac milites dominantur, qui reipub. fundamenta perturbant. Nam ut inquit ille:

*Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.*



*Hercules I Dux Ferrarię Modenę et Regij II Marcho Estensis Comes Romę  
Dns Brescellę et Romanę Eques orānis Sancti Michaeli.*



*Alphonsus I Dux Ferrarię Modenę et Regij III Marchio Estensis Comes  
Romę Princeps Carpi Caen Bajoux et Falaisa Dns Comar et Rom.*



*Alphonsus I Dux Ferrarię Modenę Regij III Marchio Estensis Comes Romę  
Princeps Carpi etc.*



## ΟΥΤΩΣ ΑΠΑΝΤΑ.

id est:

SIC OMNIA.

Multis modis explicari hæc Hierographia potest, quod admodum simplex sit Hieroglypton, & Symbolon. Verùm sequens figura satis docet Principem temporis potius quam alterius rei rationem habuisse. Hic Spheram pro Glyphe, ac *οὕτως ἅπαντα*, id est: sic omnia, pro Symbolo exhibet. Significat itaque ut terræ globus spheræ mundanæ alligatus est, ac à cælo ejusque motu, & revolutione, quæuis, justis temporum intervallis perpeti debet: nunc æstatem, nunc hyemem: SIC OMNIA similiter temporis esse subjecta, ac se patienter temporis inservire, ut ex voto omnia succedant, velle. Utile profectò Principibus propositum, qui si dissimulare, hoc est: temporis inservire non possunt, inepti ad imperia putantur. Hinc proverbium, qui nescit dissimulare nescit regnare. Ego eos qui dissimulare coguntur, regnare non posse, judico. Princeps prudens, ita rerum suarum statum componit, ut dissimulatione opus sit nulla. Præterea tempestivè bonis legibus improbos, ac rebelles ita compefcit, ac coërcet, ut nihil magni contra se tentare audeant: aut si tentent ruant, & pereant, priusquam quid efficiant. Quid hîc dissimulatione opus est? si levia tentent, ac poena delicti præ foribus sit: at quid dissimulatio? Verùm fuit iste primus Dux Ferrariæ, huic parere difficilè fuit libero populo, hîc temporis aliquid dare debuit necessariorio, ut imperium novitium paulatim stabiliret.

## ΟΥΤΩΣ ΑΠΑΝΤΑ.

id est:

SIC OMNIA.

Hujus Hierographiæ Symbolon à priori non differt. Glyphe plura continet. Cernitur enim hic mulier ulnis pectus comprimens, catenas alligata rupi, ac horologium intuens, quod capsulæ inclusum eminente foris inquietis trutina, rupi impositum est, adjecta desuper sphaera. Mulier hæc patientia est, ferens ferenda ac tempore liberationem sperans. Multis enim Sphaera spem notat, ac omnibus horologium tempus designat. Ut itaq; rupes ista omnes cœli, & temporis motus, & vicissitudines fert, *οὕτως ἅπαντα*, id est: SIC OMNIA incommoda, etiam quæ servitutis speciem præ se ferunt, illi qui novum imperium adeptus est, ferenda fortiter sunt, donec occasione, (temporis filia) oblata, eò quo cupit, omnia perduxerit: Prudentiæ enim est temporis aliquid, propter majus bonum dare, ac virtutis, adversa omnia ferre. Quæ quò faciliùs feruntur, eò minorem adferunt molestiam. Hoc enim proprium patientiæ est, quod onus incumbens minus grave faciat, ac eo sublato augeatur voluptas:

*Quod fuit durum pati, meminisse dulce est:* inquit Seneca. Et Ecclesiasticus: *Vsq; ad tempus sustinebit patiens.* Vix à fortitudine differt hæc virtus, nisi quòd fortitudo magis agendo, quàm patiendo celebratur.

SIC RE-

## SIC REPUGNANT.

Circumvolutos, ac se mutuo complectentes angues, urit ignis, ut nexum dissolvat, & conjunctos separet, aut necet; repugnant illi, ignisque injuriam perferunt, neque se divelli patiuntur. Magnum profecto amicitiae, ac concordiae testimonium. Vti itaq; potius mortem ferre, quam solvi malunt: Ita boni, & sapientes (qui serpentibus notantur) ubi amicitiam inierint, concordiam animo, eam arctè custodire debent; ipsique repugnare, & obsistere, quæ concordiam, vel amicitiam dissolvere conantur, ac quidvis potius pati, quam ut vinculum, quo juncti sunt solvatur. Talis amicitia secundas res splendidiore facit, & adversas patiens, communicansque, leviores: Sine ea nullo modo firmam, & perpetuam jucunditatem vitæ tenere possumus, ac vita insidiarum, & metus plena est. Vere amicitiae exemplum exhibuit Pylades & Orestes, teste Manilio,

*Idcirco nihil ex semet natura creavit  
Pectore amicitiae majus, nec variis unquam,  
Unus erat Pylades, unus qui mallet Orestes.  
Ipse mori: Lis una fuit per secula mortis:  
Alter quod vaperet fatum, non cederet alter  
Et duo, qui potuere sequi vix noxia pœnis  
Optavitq; reum sponsor non posse reverti  
Sponsorēq; reus timuit, ne solveret ipsum.*

Verum hujusmodi amicitia, rara admodum est, quod nunc commodi causa, amicitiae fiant, quæ veræ non sunt, ac causa deficiente pereant, ut inquit Ovidius:

*Donec eris felix; multos numerabis amicos.  
Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

## DE FORTI DULCEDO.

Ex Sacris literis desumptum est Symbolum. Cum enim Sampson interfecisset leonem, ac post aliquot tempus ad locum ubi interemptus fuerat, rediisset; Examen apum ex capite leonis evolans conspexit, exemptisque favis mel comedit, ac ænigma domum reversus DE FORTI DULCEDO convivis suis, stipulata multa, si non solverent, proposuit explicandum. Qui tandem à Sampsonis conjuge edocti, leonem fortem, & mel, dulcedinem in ipsius inventam capite fuisse, exposuerunt, multamq; in Sampsonem rejecerunt. Vir hinc sedens, militari habitu fortitudinis index esse potest. Symbolo significat Mystra, se, virosque fortes in periculis constantes, patientesque magnum solatium fortitudinis, & patientiæ habere, ac calamitates quasvis à Deo immixtas, non solum non dolere; sed jucundas, dulces, & gratas, percipere: Quod hac ratione à Deo probati, atque in hac vita à peccatis expiati, ut per ignem aurum, foelicitatis perpetuæ compotes fiant, ac patientiæ, fortitudinisq; lauream, immortale & summum illud bonum, consequantur. Nemo enim inquit Hieroglyphus Paulus id

lus id

lus id consequitur, nisi qui legitime certaverit, ac fortitudinis exempla ediderit, hoc est, qui mundum, carnem ac Sathanam debellaverit, ac illorum stratagemata illuserit. Quod ad reliqua Hieroglypti attinet, Mysta non exhibet hic leonis, sed vituli caput, quod gentilitijs suæ familiæ scutis appingi solet. Refert itaque seipsum vituli capite, ac ut ex vitulo veris initio exenterato, ac cera denuo obstructo, putrefactaq; carne, apes mellis & dulcedinis parentes, procreantur; Ita ex se, suæque familia omne bonum alijs, suisque gloriam, ac honorem proventuram spondet, & promittit.

## LOCO ET TEMPORE.

Alphonsus primus Ferrariæ Dux, strenuus, mirandaque animi generositate, ac constantia præditus fuisse prædicatur. Is in celebri propè Ravennam pugna, usus fuisse dicitur, globo metallico pyrio pulvere ita artificiosè constructo, ut **LOCO ET TEMPORE** in hostes immissus, in partes disilierit, magnamque hostium stragem ediderit. Ob foelicem machinæ successum, partamque illius beneficio victoriam, memoriæ causa, Glyphen ipsius globi igniti, absque Symbolo edidisse amicis traditur. Quod tamen postea ab Ariosto Latinè, **LOCO ET TEMPORE**, adiectum dicitur.

## A LIEV ET TEMPS.

id est:

## LOCO ET TEMPORE.

Eadem planè Hierographia, quæ superior, nisi quod Gallicè Symbolū exprimat, a lieu & temps, hoc est, loco & tempore. Admonemur ut omnia loco & tempore faciamus. Vt enim huiusmodi igniti globi, si tardiùs quàm oportet ejaculentur, non hostes, sed ipsum emittentem interficere possunt, ac si citiùs quàm opus fuerit rumpantur, inutiles fiunt, ita nisi in rebus agendis, quis tempus ac locum, id est, occasionem diligenter observet, sæpè optato exitu frustrabitur. Loci & temporis etiam magna cura in civili conversatione & officijs habenda est, quæ si ritè observentur, prudentiæ ac sapientiæ indices sunt, virumque multis ornatum virtutibus demonstrant. Qui enim quando oportet, & ubi oportet fert terribilia, fortis est: Qui ubi & quando oportet dat, liberalis. Qui ubi & quando oportet re vel verbis jucundus est, is affabilis & comis est. Ita ut loci temporisque circumstantia, sæpè res ineptas, ac inutiles, aptas & utiles faciat. Vt medicis imprimis notum est, qui occasionem volucrem esse sciunt, & sæpè pharmaca optima non apto tempore data, aut non apto loco applicata, venena fieri, ac ægrum jugulare. Id novit Ovidius dum canit:

*Temporibus medicina valet data tempore profunt  
Et data non apto tempore vana nocent.*

DUCES FERRARIAE.

Alphonsus I Dux Ferrariae Modenae et Regij III.  
 Marchio Estensis etc



Hercules II. Dux Ferrariae Modenae Regij et Chiartres III. Marchio Estensis Princeps  
 Carpi Comes Rouigy et Gisors Dns. Comasci Montargy.  
 Carsignani Frignani et Romanie



Hercules II. Dux Ferrariae Modenae et Chiartres III.  
 March. Estensis.



EMPORE  
 TEMPS  
 EMPORE

## IN HOC SIGNO VINCES.

Thau literæ signum in Hebræorum sacris liberationis fuisse indicium ex nono Ezech. patet, ubi ait: Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium. Omnem autem super quem videris Thau ne occidatis. Hoc signo etiam usi fuerunt in Hieroglyphicis Aegyptij alligato ei funiculo, quem manus tenebat, ut in obelisco Romæ ad portam Colalinam sculptura illius ostendit. Glyphe illa mysterium liberationis humanæ continet, ut lingua Cimmerica (teste Goropio Becano) aliarum parens, admirabili modo explicat. Thau enim funem significat, & si veritas nomen verum habebis, id est, apprehende, ita ut primæ linguæ, nempe Cimmericæ, architectus Deus admoneat; sola illius nomenclatura, tale signum apprehendendum, huicque soli innitendum esse: Hoc enim verum nostrum esse crucem, id est, Scipionem, unde crucis nomen deductum est. Quod in nullo alio signo, victoria, salus, aut requies esse possit: Per hoc enim signum salvi facti sumus, dum filium æterni patris pro nobis sanguinem ignominiosè effundentem sustinuit. Non fuit quidem apud Romanos turpius, aut crudelius supplicium cruce: Sed jam non ignominia, sed plenissimæ gloriæ, & victoria signum est, ut rectè Mystra admoneat, hoc signo nos vincere omnia posse.

IN TE QUI SPERAT NON  
CONFUNDITUR.

Vera hæc, ut præcedens est Hierographia, quod sacra tractet, Hieroglyphe peccatorem exhibet, qui crucem supplex amplectitur, ac mentem ad eum, qui cruci affixus, spinea corona coronatus flagellisq; cæsus fuit, dirigit, ac in eo spem omnem, ne confundatur, æternisque crucietur ignibus, ac tormentis, ponit: Hic enim fuit, qui dum perditum primorum parentum peccato essemus, nos sanguine suo à peccatis abluit, & redemit. Huic fidere, huic amare, & in hoc sperare debemus, ne confundamur. Debet enim fide, ac charitate hæc spes munita esse: Sine fide enim impossibile est placere Deo, quod qui illa caret, fundamento salutis caret. Caritas non solum erga Deum, sed etiam proximum adesse, ut universa delicta operiat, ac Deus in nobis maneat, debet. Qui his instructus, spem in Salvatore habuerit, neque hîc, neque in futurum confundetur: sed omnia ex optato habebit. Nam qui sperat in Domino salvabitur; salvatione autem nihil majus.

## PERFICIT ET CONFICIT.

Apud veteres Aegyptios Saturnus in Hieroglyphicis pingebatur dextra manu serpentem circa collum continere, caudamq; faucibus devorare. Qua figura, anni circuitum, tempus, ætatem, ac immortalitatem significabant. Idque ideo, Cyrillo authore, quod in longitudinem serpens porrigatur, taciteque serpat absque strepitu, multisque spiris abundet, quibus

quibus annorum dierumque series tacite præterlabentes egregie designantur, Hieroglypto Symbolum optimè accommodatum est, PERFICIT ET CONFICIT omnia, videlicet tempus: Nihil enim manu factum est, quod tempore tandem non aliquando intereat, & conficiatur. Ob id ait Ovidius:

*Tempus edax rerum, tuq; invidiosa vetustas  
Omnia destruitis, vitiataq; dentibus ævi  
Paulatim lenta consimilis omnia morte.*

Admonemur etiam hac Hierographia, ne corporis, animi, aut fortunæ, bonis superbiamus: ut enim tempore perficitur corporis forma, agilitas, valetudo, eloquentia, ars, scientia & reliqua: ita etiam à tempore paulatim eadem conficiuntur, tandemque morte intereunt. Fortunæ similiter bona, ut vel data, vel non data occasione sæpe eveniunt, ita facile iterum inopinato auferuntur. Propterea temporis fidei sapientis non est; omnia enim mutat, ut inquit Claudianus:

*Quid non longa valebit permutare dies?*

Narratur Anaxagoram percontantian Lampfaceni montes aliquando mare futuri essent? respondisse, ita sanè, nisi tempus defecerit. Nostro sanè ævo, antè paucissimos annos, mons maximus in insulis fortunatis una nocte ex plano enatus est, ac propè Puteolos alius. Tempore itaque mira rerum fit vicissitudo, ac omnia paulatim mutantur.

## QVI JUDICATIS TERRAM DL LIGITE IUSTICIAM.

Admonentur hoc Symbolo reges, principes, ac iudices, ut diligant iusticiam, ac Glyphe, ut administrent tum pœna, quam clava significat, tum æquitate, quam bilanx: Non enim omnia justa æqua sunt; sæpe enim summum jus, summa injuria est. Quid si lex lata sit, eum, qui citatus, certò tempore non comparet, causam amittere, isque venire non meminerit, ac jurejurando se oblitum fuisse testari velit; æquum ne est, ut centum milium florenorum causam amittat? Iniquum profectò videtur: propterea, quòd legislator, non obliviosos, aut certis impedimentis implexos; sed contumaces, ac qui cum possent venire, nolunt; ut adversario molestiam faciant, causamque protrahant, tam graviter puniri velit: Multa tamen arbitraria hujusmodi negligentiam castigari æquum est. Ad æquitatem supremi iudices, & à quibus nulla amplius est appellatio, instituti sunt.

Hi secundum æquitatem judicare debent, ac potius secundum legum mentem quàm verba: AEquum enim præstantius, quodam justo, ac alicujus justii correctivum: Emendat enim legem secundum naturam circumstantiarum. Propterea qui hoc agunt, ac justum non exactè in deteriorem exequentur partem, æqui & boni dicuntur, ac perfectè justii sunt; Est enim justiciæ perfectus habitus æquitas. Vt autem æquitas iudicibus convenit: ita etiam clava, seu pœna, quæ malos

ac sceleratos, coercet, abigit, aut è medio tollit: ut boni & probi jucundè, ac tutò vivant: Hic enim finis omnis justiciæ, & propter hunc reges & principes à Deo instituti sunt. Nihil propterea magis laudari potest in principe, quàm si justiciam diligat, ipseque studiosè administret, aut ab alijs, si periculum vetet, administrari curet. Administret ipse, si cuius aures præbeat; hac enim humanitate nihil aptius, ut subditorum amorem sibi conciliet, ac justiciam conservet, esse potest; ita enim quæcunque in regno injustè geruntur, & qui mali, injusti, ac improbi ministri sint, facilè ab ipso deteguntur. Vbi improbi, ac avari justiciæ præsumunt, ibi venalis est justicia, ibi viduæ, pupilli, ac qui se tueri non possunt, prædæ sunt. Vbi boni, ibi floret justicia, ac probi miseræque personæ securam, & beatam vitam degunt, principesque, quia sitierunt justiciam, æternam beatitudinem consequuntur.

## DEUS FORTITUDO

M E A.

Pro Hieroglypto fortitudinis, hîc Divi Georgij figura exhibetur, qui Dei instinctu, ejusque fortitudine munitus, Draconem illum Anglicum, qui divam Margaretham devoraturus erat, interfecit. Fortitudinem in se agnoscit Mystra, eamque non suam, sed numinis esse, piè proficitur, ut Esaias: DEVS meus, factus est FORTITUDO MEA: Virtus enim est fortitudo, ac virtus omnis à Deo. Hîc autem non solùm bellica fortitudo, qua victoriam Dei auxilio adipiscimur, intelligitur: Sed ea, qua mundum, Sathanam, omniaque vitia superamus, quam si Dei beneficio obtinemus, tum verè profiteri possumus, nos, vires, valetudinem, divitias, honores, opes ac delicias contemnere, eaque, quæ ijs contraria sunt, pro nihilò ducere, nec multitudinis opinione, nec dolore, nec paupertate terri, Sed non solùm hæc omnia contemnere satis est: verùm omnibus modis ad virtutem tendere, ut fortes simus, debemus: Inquit enim Ambrosius: in duobus fortitudinem spectare animi: Primò ut exteriora corporis pro minimis habeamus, & quasi superflua, despicienda, magis quàm expetenda ducamus: Secundò, ut ea, quæ summa sunt, omnesque res, in quibus est honestas, præclara animi intentione, usque ad effectum persequamur. Dei itaque auxilio fortes, nulla pericula, nullos dolores, ne mortem quidem extimescimus, ac ita animum componimus affectusque domamus, ut in nullum flagitij genus, quod Deum offendat, incidamus. Hæc vera est fortitudo, quæ non nostra, sed Dei est, & quam Deus per nos exercet, aut ejus beneficio exercemus.

## URGET MAJORA.

Quis hac Hierographia magnanimitatem hujus Herculis non agnoscit, dum exemplo Rhinocerotis se majora urgere Symbolo asserit?  
Rhinoceros



Rhinoceros equidem non minora animalia, sed elephantem hostem se longè majorem, & omnium quadrupedum maximum aggreditur. Habet Rhinoceros in naso, & supra dorsum cornu, quo ad saxa limato, præparat se pugnae ac ventrem elephantis, quem scit molliorem, petit. Tanti animi fertur, ut à pugna nunquam nisi victor recedat. Cute durissima & crassissima est armatus: ut non facile ab elephante vulnerari possit. Quemadmodum autem Rhinoceros minora quævis animalia contemnit, ac victoriam quam ab illis ferre posset, sibi potius ignominiosam quàm gloriosam putat. Sic magnanimus iste Dux, sibi non res exiguas, faciles, & leves, urgendas; sed magnas, difficiles, & arduas, ut majorem gloriam consequi posset, proposuit.



TUDO

JORA


DUCES FERRANÆ ET MODENÆ.

*Renata ne potissima Regis Gallie uxor.  
Herculis II Ducis Ferrarie.*

*Alphonsus II Dux Ferrarie Modenæ  
et Regij ultimus.*



*Cæsar Dux Modenæ Regij et Carpi VI Marchio  
Estensis etc.*



*Marchiones Mantuæ*

*Joannes Franciscus Gonzaga Dns  
Mantuæ et primus Marchio.*

*Luâonicus Gonzaga Marchio Mantuæ  
Secundus.*



## UNA FUIT.

Quia ab una arbore duo rami ablati terræque inserti in duas arbores abeunt; Rectè Renata, Herculi matrimonij fœdere juncta, quod duæ manus se mutuo ac ramusculos complectentes, indicant, marito progeniem & sobolem promittit. Nihil enim optabilius principe, quàm ut legitimam prolem regni hæredem habeat; nihilque mulieri amabilius & gratius, quàm ut conjugii suo sobolem ferat. Ut autem arbor à qua ramusculi ablati sunt, una fuit, ac ramusculi terræ inserti, multiplicantur: Ita etiam una fœmina, conjugii beneficio multiplicatur. Divinam autem & conjugalem esse conjunctionem, demonstrant manus è nubibus porrectæ. Fœlicem autem futuram sobolem significant oleæ vel lauri ramuli, qui pacem & victoriam in regno seu imperio (quod corona notatur) promittunt.

## EXCELSÆ FIRMITU-

DINI.

Alphonsus Dux Ferrariæ ab anno ætatis decimoquarto hac Hierographia usus dicitur, causamque dedisse præceptores; Qui cum illum optima indole, ac ad virtutes natum animadverterent, sæpe inculcabant, ne unquam hanc indolem, & ad virtutes propensionem, mutari aut extinguere, ut principibus contingere solet, pateretur. Hi enim optimè educati, virtutibusque omnibus ornati, cum primùm florem ætatis attigerunt, aut ad gubernacula rerum vocati sunt, effrenes quasi facti, virtutes in vitia mutant, ac qui prius mites, crudeles: qui liberales, avari; qui æqui, iniqui; qui casti, in omne libidinum genus profusi; qui modesti, scurræ; qui affabiles, difficiles & morosi, fiunt. Ut itaque Alphonsus ostenderet se perpetuò constantem fore, ac indolem Geniumque ad virtutes stimulantem, se non derelicturum EXCELSÆ FIRMITVDINIS figuram columnam, constantiæ imaginem pro Hieroglypto edidit.

## OBSTANTIA NUBILA

SOLVET.

Putant aliqui Cæsarem hunc, cum adolescens adhuc esset, illustrißimam quandam virginem amasse, qua cum potiri ob multa impedimenta non posset, istam Hierographiam excogitasse; ut tempus aliquando fore, quo discussis impedimentis omnibus, Amasia sua potiri posset significaret. Verùm augustius mihi videtur hæc Hierographia interpretanda; Nempè ut Sol ineffabili vi potentia, ac calore nubes, qui conspectum illius nobis intercipiunt, solvit ac consumit; ita etiam authorem istius Hierographiæ in vero, & æterno Sole Deo opt. max. eam habere animi fiduciam, quod ille, quæcunque obsunt ne ad fœlicitatis, ac beatitudinis culmen pervenire possit, facillè dissolvat. Potest etiam stemmati aut familiæ applicari, Quæ cum antiquis-

simā, & illustrissimā Solis instār sit, quævis, à quibus labefactari, ac opprimi possēt, facilè delebit, ac in nihilum, ut Sol nubes, rediget.

## HESPERUS UNUS LU-

CESSET.

Navis mari, ventis ac tenebris concredita, animum aut negotia Ducis periculis non levibus exposita indicat. Consolatur tamen se Dux neque desperat, quin ad foelicem portum sit adventura cùm ait **HESPERVS VNVS LVCESSET.** id est: stella aliqua major. Ejus enim lumine licet exiguo optatum portum navis consequetur. Admonemur itaque hac Hierographia, ne in periculis constituti desperemus, sed in Deo speremus. Facilè enim si vel minima divini auxiliij lux affulserit, liberamur. Quamdiu meliora speramus, tamdiu leviùs ferimus pericula. Spes enim sperantes alit, ac speratis sperans ut præsentibus fruitur.

## AD NOS LAUDIS

AMOR.

Capreolus in cacumine rupis se ostentat. Animal quod inter rupes degit, ac summa semper appetit loca. tanta saltandi peritia, dexteritate ac securitate præditum, ut in planitiem vix palma majorem saltare præceps absque periculo audeat; quam cum pedum unguibus apprehendit, ibi etiam se sistere potest. Quemadmodum itaque hoc animal nullo præcipitij metu, semper altiora, & summa petit donec ulterius nun possit, ita illustriss. iste vir Ioannes indicare hac Hierographia voluit, se virtutem, qua sola vera laus comparatur, semper amare, tantique facere, ut difficillima quæque illius gratia, ac ad eam consequendam aggredi, velit.

## EX GLACIE CRISTALLUS

EVASIT.

De se proculdubiò Ludovicus Gonzaga, loquitur dum ait **EX GLACIE CRISTALLVS EVASIT.** ac à cristalli origine Hierographiam deduxit. Putant enim authores nonnulli glaciem diu in frigidissimis montibus servatam, tandem in cristallum abire, ac cristallum priùs aquam fuisse. Verùm omninò falluntur, nunquam enim aqua in cristallum mutari potest, absque tamen aqua non generatur, solvi enim terræ tenuissima portio cum aqua debet, quæ recedente aqua, tum primùm in cristallum concrevit. Si cristallus ex aqua congelata constaret, igne solveretur; (quæ enim frigore concrevissent, calore solvuntur,) ac aqueæ partes igne consumerentur: quod non fit experiēti. Igne enim crematus, calcem seu terram, & sal cujus spiritus beneficio coagulatus fuit, ostendit. Verùm  
non refert,

69.  
non refert, quid hac de re vulgares authores censeant: Constat illustri-  
lustrisimum D. Ludovicum hac Hierographia ostendere, nihil esse tam  
imbecillum, ignobile, & pusillum, quin tandem studio, diligen-  
tia, opera, & industria, illustre, firmum, magnumque  
evadat: Ac proinde se illustriorem omnibusque virtutibus ornatio-  
rem suis futurum.



Fridericus Gonzaga Marchio  
Mantue. III.

Franciscus Gonzaga March. Mantue  
III. Generalis suprem. Venetor. Reipub.



Franciscus Gonzaga Marchio Mantue  
III. Generalis suprem. Venetor. Reipub.

Jabolla Paleologa Marchionissa  
Mat. uxor Francisci March.



Fridericus Gonzaga Dux Mantue I  
et Mar. Mont. Fer. General. Car. V. Imp

Margaretta Ducissa Mantue  
Friderici uxor.



## SOLUS INDEFICIENS.

In rebus humanis nihil est perfectum, nihilque completum, nemo etiam tam fœlix, aut beatus, cui non aliquid desit, & quem non premat molestia aliqua. Si animum spectes, sæpe illi, quibus neque valetudo, neque externa bona desunt, curis, tristitia, anxietate, alijsque animi affectibus cruciantur, ac virtutibus animique quiete carent. Quibus animus compositus est, fortunæ bonis, vel bona valetudine, plerunque carent. Ac qui divitijs alijsque externis affluunt, bona multoties valetudo & virtus deficit: Nunquam enim hac in vita quis ita fœlix fuit, ut si alijs nihil illi deesse videretur, sibi tamen nihil deficere assereret. Hinc rectè Ovidius:

*Ultima semper  
Expectanda dies hominis, diciq; beatus  
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.*

Et Cic. in Tuscul. Qui beatus est, non intelligo, quid requirat, ut sit beator: si est enim quiddam quod desit, ne beatus quidem est. Hæc perpendens Mysta Solem Hieroglypto exhibuit, ac illum solum indeficientem scribit: Verè profectò; utpote qui neque motu, neque lumine, neque calore unquam defecissè deprehensus fuerit. Per tot enim secula, tam citato motu, quem mens humana concipere non potest, indefessus semper permansit, ac per tantum spacij intervallum lumen perpetuò idem nobiscum indeficiens communicavit, mitiq; suo calore nos fovit. Et quamvis hæc omnia huic nostro visibili Soli conveniant: voluit tamen mystice Hierographiæ author Symbolo æternum illū Solem, Trinitatē videlicet, intelligi, qui solus indeficiens & beatus est, quem ipse, ut etiam beatus, & indeficiens fiat, sibi pro rerum omnium scopo, sanctè proposuit.

## DOMINE PROBASTI ME ET COGNO.

VISTI SESSIONEM MEAM.

Depictus hîc est furnus probatorius incensus, cui catinus (quem Spagiri tigillum vocant) virgulis aureis plenus, impositus est; ut ostendatur aurum examini, & depurationi esse commissum: Aurum enim igne vehementi probatur, ac si adulteratum sit, facilè exemptum dignoscitur: Priùs tamen ingenti igne cruciari debet: nisi enim prorsus ignitū fuerit, nō liquefcit, liquefactum, ac in virgas projectum, tum demum quanti valeat, manifestū fit; Colores siquidem & fucos adulterinos ignis consumit. Ut itaque aurum igne diu vexari, antequam valor ipsius innotescat, nobisque sit in precio, debet; ita etiam viri boni, Deoque grati, multis sæpe à Deo calamitatibus affliguntur, ut illustriores Deoque chariores fiant. Hunc divinæ probationis modum in se Dux iste agnovit, propter adversa, quæ perpeffus fuit, ac auri igniti instar magna animi fortitudine, constanter pertulit. Ob id ait: DOMINE PROBASTI ME ET COGNOVISTI SESSIONEM MEAM. Sessione, quam fur-

nus

nus probatorius indicat, Marchionatus dignitatem & locum ad quem à Deo vocatus fuit, intelligit, quem se ut vocatio postulat bene regere, demonstrare velle videtur.

## DOMINE PROBASTI ME ET COGNOVISTI ME.

Repetitur hîc Hierographia superior, sed omisso probationis furno, ac in Symbolo sessionis vocabulo; ita ut non ad locum, sed ad se tantum referri velit Hierographiam author. Aurum itaque iterum tiggillo impositum igni substrato probari ostenditur. Auri probandi modi varij sunt: Probatur enim Lydio affricum lapidi: verum incerta & fallax hæc proba, quod superficies tantum examini subijciatur. Probatur etiam aqua ex halinitro, & vitriolo distillata, huic enim injectum, ac post aliquot tempus exemptum, si pristinum pondus servaverit, adulteratum non fuit. Per ignem facilius probatur; stibio enim commixtum, ac in pyramidem projectum, si pondus amiserit purum nunc, non antea fuit. Exactissimè autem cemento regali, (quod ex pulveris plumbi uncia, sulphuris vivi, salis petrae, singulorum semuntia, arsenici crudi, salis communis binis uncijs constat) probatur; eo enim omnis fucus tollitur, ac purum putumque redditur: Hicque duo postremi per ignem probandi modi veri sunt: Si enim stibium ac cementum tulerit aurum, defœcatum, ac obrizum dici potest. Ut itaque ignis aurum, ita Deus, num illi fidamus, in eo spem ponamus, ac virtutes amemus, ipsique ornati simus, varijs nos calamitatibus probat; quas si sustinemus patienter, tum demum nos probatos, puros ac puros æternæque beatitudinis compotes fore, scire possumus. Hanc probationem Iobi instar à Deo institutam Marchio iste se tulisse hac Hierographia non minus, quam priori, ostendere voluit.

## UNUM SUFFICIT IN TE. NEBRIS.

Christianis mos est, cum anniversarios Salvatoris nostri crucifixi luctus, ejusque dici, qua passus, & mortuus est, memoriam celebrant, tredecim candelas sub crepusculum, eo, quo cernuntur in Hieroglypto, modo constitutas, incendere. Hæ duodecim Apostolos, & beatam Virginem numero referunt, ac etsi omnes simul ardeant primò: paulatim tamen postea singulæ extingvuntur, donec omnium suprema sola luceat. Quæ sola tenebris depellendis sufficit: quia habitus privationem tollit: Tenebræ enim nihil aliud, quàm lucis sunt privatio, ac lux nihil aliud, quàm vita corporum, quatenus visibilia sunt, aut lucentis corporis in objectis corporibus, spiritualis præsentia ac idea, quatenus visus objectum est, sensu potius, quàm definitione, aut ratione nobis nota: Nemo enim mortalium veram lucis essentiam comprehendere animo potest: imò nec an substantia, an qualitas, & si substantia, an corporea, an incorporea sit, intelligi potest. Oculis nihil notius luce: Ejus enim beneficio cuncta apparent, & perspicua omnia sunt, ac calores actum recipiunt; ut non  
absurdè



absurdè Aristoteles, lucem aeternam esse perspicui quatenus perspicuum definit. Isabella Palæologa Græca ex prosapia imperatorum Constantinopolitanorum, propter Turcarum tyrannidem, tam diu in tenebris lauit, donec Francisci Marchionis conjunx esset, cujus unius & solius luce, si se ereptam è tenebris agnoscat, ac sibi illam solam lucem sufficere, ut omnes animi molestias, anxietates, omniaque perpeffa mala obliteret ac exstinguat; quis illi vitio vertere potest, imò non laudet potius? Mulieris enim lux vir est, à quo ornamentum & dignitatem adipiscitur. Sed & nonnulli arbitrantur, illam hac Hierographia usam cum vidua esset, ac ab omnibus aulicis, uno excepto sene, deferretur: Cùm enim filius ipsius, Amasiam nobilem conjugis loco secum circumveheret, ac omnes aulicos, (à quibus mater antea honorari solebat) ut Amasiam suam aulam ornaret, & ad se traheret: Vidua mater ab omnibus neglecta fuit, unusque tantum illi fidus adhærebat senex, cujus fidem & lucem, ut sibi sufficere, ac cæteros contempsisse ostenderet, verisimile est hanc Hierographiam edidisse: Prudentius ac utiliùs unius hominis probi, & fidi consuetudine uti licet, quàm multorum, cùm fides à multis raro servari, ab uno facillimè possit.

## ΑΜΩΜΟΣ.

id est:

### INNOCENS.

Pro innocentiam testimonio exhibet hic adamantem in summitate montis constitutum, ac conspicuum facibusque illustratum Mysta. Adamas inter omnes gemmas colore omni vacat, ac transparentis est aqua instar, puritatis sanè, bonæque conscientiam index. Duricie & fortitudine, nulli gemmarum cedit, ignis ferens injurias, è quo purior, ac nitidior depositis sordibus, & nubeculis solet exire: Ut rectè igne examinatus irreprehensibilis, ac inculpatæ pulchritudinis dici possit. Ad ejus naturam alludit Mysta, cùm se innocentem ac inculpatum Græco Symbolo ostendit: Habuit enim invidos complures, dum Caroli Quinti summus Dux belli esset, hos facibus ignitis notare voluit: Vti enim ignis adamanti notam, aut maculam inurere nullam potest: sed illum nitidiorem, ac illustriorem reddit: ita nec invidi aut detractores illum calumnijs maculare verè possunt. Quia ἀμωμὸς id est: sine macula, ac montis instar, ipsius virtus, ac innocentia, ita firma, ac omnibus conspicua est: ut invidorum ac momorum dentibus tantquam facibus, potius illustretur, quàm obscuretur.

### IN ÆTERNUM.

Dux manus dextræ à nubibus porrectæ, nihil aliud, quàm divinum ac conjugale fœdus, quod inter Margaretham, & Fridericum istum est, significat: Duabus enim dextris solent fœdera confirmari. Conjugale verò fœdus ad mortem alterius conjugis tantum durare solet.

H

tare solet.

74.

rare solet. Verùm Margaretha IN AETERNVM fœdus manere, ac nunquam dissolvi cupit. Symbolum IN AETERNVM ne mortem quidem sui conjugis dissolvere, vinculi, & datæ fidei nexum posse, ostendit. Se itaque, si non corpore marito post mortem unita esse possit, animo tamen fore, neque unquam primam quam illi dedit fidem, irritam secundis nuptijs facturam: Hac enim ratione æternum fœdus servari dicitur. Egregia sanè ac tanta Principe digna gnome, quæ conjugalis amoris vinculum, nunquam dissolvi, sed in æternum permanere cupit.



DUCES MANTVÆ

Franciscus Gonzaga, Dux Mantuæ Secunâus et  
Mar. Mont. Ferratis.



Elisabetha Austriaca, Ferdin Imp F.  
Ducis Francisci Mantuæ uxor.

Guilhelmus Gonzaga Dux Mantuæ  
III M. Mont. Ferr. Eques Aur. Vell.



Leonora Austriaca, Ferd. Imp. Filia.  
Ducis Guilhelmi Mantuæ uxor.

Vincentius Gonzaga Dux Mant. IIII  
ei Montis Ferr. II Eques Aur. Vell.



QVOD HIC DEEST ME  
TORQVET.

Stellio Lacertæ genus est, inde nomen habens quòd tergum, & cauda stellis insignita sint. Venenosum est animal, ejusque naturæ, ut qui vinum, in quo extinctus fuerit, ebiberit leprosus fiat. Vere cavernas relinquens, dum apricatur, solem jugiter intuetur, ut nebulæ, & humores oculis inhærentes, ac tenebris conquistis, discutiantur. Animalculum est quadrupes Salamandræ non dissimile, ac inter alia hoc peculiare habet, quod, ut cætera animalia Venerem cupiunt, illius stimulis neque crucietur, neque amoris conflictus sentiat. Ab hac ipsius natura princeps Franciscus Symbolum accepit, dum ait: QVOD HIC DEEST, nempe amor, ME TORQVET: Fuit enim amore cujusdam virginis captus, quo quia se mirificè vexari sensit, appositè Stellionem, qui amoris molestia caret, pro Hieroglypto edidit. Quibus autem molestijs amantes torqueantur, mortalium paucissimis ignotum est. Ait enim Plautus: Credo ego amorem apud homines carnificinam commentum, ita me amor lapsus animi ludificat, fugat, agit, oppetit, raptat, retinet, jactat, largitur, quod dat non dat, deludit, modò quod suavitè dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.

VIAS TVAS DOMINE DEMON-

STRA MIHI.

Thobias junior cum jussu parentis, ad exigendam debitam pecuniam ei proficiscendum esset in Mediam, factus est illi divino instinctu itineris dux Angelus Raphaël. Dum itaque circa Tygrin flumen quiescerent, ac Thobias in flumine pedes lavare vellet: piscis quidam horrendus in illum insiliens, non levem illi timorem incussit: Verùm Angelo jubente audacior factus, in terram traxit, occidit, exenteravit, ac cor, jecur & fel servavit, ut corde carbonibus injecto, dæmonia fugare, ac felle cœcitatem oculorum amovere posset: Quòd postea factum fuit. Nam cum apud Raguelem manerent, cujus filia Sara septem viris (quos dæmonium, prima concubitus nocte interfecerat,) frustra desponsata fuisset, Angeli consilio Thobias illam in uxorem petijt à patre, obtinuitque, ac Dæmonio abacto cordis fumo, illa conjugaliter, cum altera parte omnium bonorum, quæ pater possidebat, potitus est. Hujusmodi itineris ducem, non est dubium, quin sibi hic Dux, qui adhuc cælebs erat, dum hanc Hierographiam erigeret, optarit: quo juvante piam, omnibusque virtutibus ornatam uxorem, ut Sara fuit, nancisci posset. Hanc illius fuisse mentem, Symbolum, VIAS TVAS DOMINE DEMONSTRA MIHI, confirmat: Scivit enim Dux, bonam, piam, & probam uxorem, non nisi à Domino, ut Thobiæ contigit, dari. Quam etiam postea jugibus ad Deum fuis precibus obtinuit, Elisabetham nempe Austriacam Ferdinandi Imperatoris filiam, cujus pietas & virtus, Solis instar totam Italiam illustravit. Potest etiam hæc Hierographia ad omnia alia negotia, ac res quasvis agendas, accommodari & applicari. Quis enim est tam impius

impius, qui nesciat omnia Dei nutu regi, ac non velit à Deo rerum suarum foelicem successum dari.

## SPOLIAT MORS MUNERA NOSTRA.

Arbor hîc ostenditur frugifera, quam fulminis telum diffindit, & enecat. Ait Symbolum: SPOLIAT MORS MVNERA NOSTRA. Mysticè hæc hominibus accommodantur: Vt enim fulmen storentem arborem sæpe exurit, ac ne fructus suos statuto à natura tempore exhibere possit, facit: ita etiam mors, excelsa, bonæque frugis ingenia plerunque immaturè, ne fructus & munera, quæ à numine obtinuerût, nobiscum vicissim communicari possint, ferit. Id certè viro omnium humaniorum literarum genere cultissimo, D. Iacobo Typotio Belgæ, quondam Regis Sveciæ Consiliario intimo, Cæsarisque Rudolphi Secundi Historico, qui Symbolorum priora duo volumina sua isagoge illustravit, contigit: Hunc enim mors præcox, tabe consumptum, amicis, beneque illi volentibus, ante extremum senium abstulit. Habuit vir ille insignis, cancellariæ aliquot volumina præ manibus, & quædam absolvit, quibus non solum principum sui ævi statum fictis nominibus descripsit, sed etiam formulas literarum, mandatorum, & libellorum, qui à principibus vel rebuspub. expediri solent. Poëmata & epigrammata etiam nonnulla conscripsit. Ac libellum de arte Hierographiæ, quem spero tandem in lucem proditurum, ac, etiamsi mors Doctis. Typotium vita spoliârît: munera tamen illius nostra fore.

## ΟΛΥΜΠΟΣ.

Mons hîc depingitur Olympus, in tota Macedonia, & Græcia altissimus, cui superstructum est mausæolum, quale Augustus Romæ habere solebat. In hujus cacumine altare fidei, & fides coronata cernitur. Proculdubio mons animum hominis excelsa optantem designat: is enim si Olympum, hoc est cælum, ac æternam beatitudinem cogitat, ac cupit, fide imprimis instructus esse debet: fides enim fundamentum salutis est, sine qua impossibilis est placere Deo. Ob hanc causam corona illi supra pingitur: ut demonstretur fidei præmium, vel coronam, Olympum esse, id est, cœlestem gloriam. Verùm quia de fide alijs virtutibus carente, & mortua hîc non agitur: arbores vivæ appictæ sunt. Fides enim fructibus, nempe charitate ac spe, ut Olympum consequatur, ornata esse debet; Nisi enim charitas adsit, quæ viæ instar sit, & spes quæ viam, ut columnæ mausæolum, sustentet, non pervenietur ad montis jugum. Rectè itaq; hic Princeps viva fide, & quæ alijs virtutibus ornata est, se beatam vitam consequuturum credit.

## COSI MORIR MI PLACE.

id est:

## ITA MORI PLACET.

Elegans hæc Hierographia, ac probæ matrifamilias optimè con-

H 3

veniens,

78.

veniens, utpotè quæ amoris conjugalis vehementiam ejusque fidem testatur: Vt enim ab hedera, quæ se fulcris, & ramis sustinere non potest, arbor circumvolvitur, ac illius complexu tandem in tabem redigitur, ac marcescit. Ita Leonora Austriaca conjugii suo Gvillhelmo unita, ac amoris in conjugem igne accensa, paulatimque tabescens: hujusmodi mortem sibi placere, Symbolo Italico asserit: Nihil enim gratius amantibus esse solet, quàm cum re amata fruuntur, potiùs in amplexu mori, quàm ab ea divelli. Amor propterea inter conjuges laudatur, qui tam vehemens est, ut semper simul vivere cupiant, & si moriendum uni sit, alter commori optet.

### SEMPER VIVA.

Vincentius Gonzaga, cum Ducis Parmensis sororem, virginem eximia forma præditam, in uxorem duxisset, neque eam proli ferendo idoneam nactus esset: ab ea separatus, alteramque ducens (si vulgi fama vera est) hanc Hierographiam, sinceri amoris testimonium, in illius memoriam edidisse fertur; qua ostendere voluit: ut Luna semper lumine illustratur, licet id non semper appareat: Ita virtutes ideam ac formam, prioris Amasiæ & conjugis, etiamsi conspectu illius non amplius frui possit, animo suo firmiter inhærere, ut quasi SEMPER VIVA appareat. Vivunt enim amantes in alieno corpore, ac amatae formam, corpus, animumque in se ferunt, illiusque animi facultate, non sui reguntur. Hæc vis amoris; cujus etiam proprium est, non lætari, non gaudere, non bene valere, omnia fastidire, nisi adsit res amata, ac ea frui liceat. Suscipit autem ideam veram, ac corpori amantis necit, ut speculum objecta, oculis: animusque in se ab oculo susceptam attrahit, sibi unit, ac spirituum beneficio toti corpori communicat: Vt ob id non mirum sit, amantes sola idea non contentos, sed prototypon optare; neque quiescere donec eo potiantur. Verùm istius amoris gratiâ Ducem crexisse Hierographiam, verisimile non est: sed alterius divinioris, qui virtutem profequitur, colit ac sibi uniri cupit. Qua priorum conjugem ornatam fuisse, nemini ignotum est.

8

Vincenzius Gonzaga Dux Mantuæ III et Montis  
Ferratis II. Eques Auroi Velleris.



Vincenzius Gonzaga Dux Mantuæ III et Montis  
Ferratis II. Eques Auroi Velleris.



Parmensium Duces

Petrus Aloysius Farnesius P.P. Pauli  
III fil. Dux Parme Placentie et Castri.

Octavius Farnesius Dux Placentie  
Parme et Castri II. Marchio Nouarie.



## Φ Υ Σ Α.

id est:

## F L A T U S.

Videtur hęc Hierographiæ author quatuor elementa exhibere: Corona enim, quia herbis, & floribus constat, terram, quæ illorum parens est, notat. Aquæ figura satis apparet. Aër, spiritus, aut ventus: quia neque cerni, neque depingi potest, Græca dictione φῦσα, id est, flatus, significatur. Sol suprema parte: quia caloris omnis fons est, ignem illum æthereum non malè designat. Sed quid Mystra velit quatuor elementis, difficulter assequi licet. Scitur omnia quatuor elementis constare: Scitur absque ijs nihil vitam habere posse. Sed quid hinc sacri colligi potest? Non dubitandum, quin obscura hæc Hierographia aliquid maius præ se ferat, quàm prima fronte apparet. Hoc nempe: ut Sol nobis conspicuus omnia suo motu, luce & calore regit: frondes herbasque virentes producit, tempestates marinas, ac ventorum tormina & procellas, lumine ac præsentia sua moderatur, compefcit ac regit. Ita Solem illum cœlestem nostra omnia negotia ad bonum finem dirigere, ac varijs calamitatibus oppressos, fortunæque injurijs, ac procellis jactatos, ineffabili sua bonitate sublevare.

## PROBASTI DOMINE.

A Francisco Gonzaga desumpta est hæc Hierographia, qui se fidelem Cæsari fuisse, ac omnes probationis modos (auri instar) sustinuisse, ostenderit: Conspicitur enim hęc furnus ignitus, ac tigillum auri virgulis ad fusionem plenum, igni impositum. Fortè iste Princeps se à Cæsare nostro Rudolpho probatum varijs modis, ac sincerum fidumque inventum, sibi ipsi gratulatur. Quid enim principem magis decet, quàm fides & boni conscia mens, quietis laudisque æternæ ac immortalis pabulum? Si divinis sacrisque accommodare Symbolum velimus: nihil profectò gratiùs, jucundiùs, acceptiùs ac quòd magis solatium præbeat, esse potest; quàm, conscientia teste, firmam Deo præstitisse etiam in maximis periculis fidem.

## A FUNDAMENTIS EREXIT.

Si quis hanc figuram diligenter contemplari velit, nullam esse Hierographiam dèprehendet, sed tantùm exstructæ arcis à fundamentis memoriam. Quæcunque autem arx sit, legitimè, & ex arte constructa esse apparet: Hexagona enim est, sexque propugnaculis instructa, quæ ita ad lineas disponi solent, ut nusquam foris, ne uni hosti sit tutus locus. Facies etiam propugnaculorum ita duci debent, ut à multis locis defendi possint, ac axillæ propugnaculorum, ut vix foris & tantùm ad faciei superficiem conspici possint: Hac enim ratione ordinata, tutissima fiunt, ac hostibus metuenda; quòd non nisi maximo periculo arcem oppugnare possint. Arces ob quatuor causas extruuntur: Primò ut illi, ad quos



ad quos imminet, ad quævis officia cogi possint, velint, nolint. Sed illæ fruentem vel ipsius statum ruunt: quia Tyrannidem inducunt nunquam durabilem. Secundò ut tutus receptus, hoste provinciam vastante, aut occupante habeatur. Verùm illæ rarò utiles sunt, ob id, quòd occupatis omnibus circumcirca, tandem, & illæ se dedere cogantur. Tertiò extruuntur arces: ut hostes circa limites provinciæ hæere cogantur, ibique detineantur, donec, quæ ad illos pellendos necessaria sunt, parata esse possint. Atque istæ necessaria omniumque utilissimæ sunt, si circa præcipuas vias, ac provinciæ introitus construuntur. Quartò struuntur arces, ut perfidi, aut ad jugum redacti, in officio retineantur. Vitales quidem illæ, si miles stationarius rectè se gerat, sed nequaquam si ferociat: captæ enim ab injuriâ passis, rebellionis fiunt fulcrum, ac difficilè recuperantur. Qui metui nolunt, ac officijs captant subditos, arcibus opus non habent; quòd amentur, ac ab amantibus non lædantur: Nemo enim quem diligit, offendit.

### S I C,

Lunæ jam primùm crescentis apparet imago. Huic inscriptum Symbolum S I C. Supple, illustrior crescam: ita ut singulæ literæ dictionem referant si velis, Nos paucis ita exponimus: Vt Luna paulatim crescit, S I C Dux iste Vincentius. Solidiora profectò ea rerum gubernacula, quæ paulatim excrescunt, quàm quæ subitò ad summum perveniunt. Quod citò fit, citò perit, ac præcocia quævis facillè intereunt. Res magnæ & arduæ, ut durent fundamentis egent firmioribus. Crescunt interdum principes, ambitione, Tyrannide, avaritia alijsque vitijs, quæ effrenis illa libertas, ac suprema potestas à nemine, neque à propria conscientia coercita, parit. Verùm iste Princeps, suis se Lunæ modo, paulatim illustriorem fore promittit: Luna enim lumine crescit, ac Solis beneficio. Quid aliud notat Mytha? quàm se virtutibus, ac potentia divini illius Solis, id est, numinis auxilio, & ope, illustriorem semper fore confidere, ac eò omnia sua dirigere, ut suorum omnium bono tale propositum feliciter, ad optatum finem deducere possit.

### S E S I B I,

Quis nescit arborem solitariam frondentem, florentem, fructumque ferentem, quam nullum animal accedere aut conspiceri potest, sibi tantùm, non alijs frondere, ac fructus ferre, & propterea nulli alteri animali utilem, nihilque habere in S E, quàm quòd S I B I sit, hoc est esse. Ab istius exemplo Mytha contrarium elici vult; nempè se non fore instar arboris solitariæ, nec sibi tantùm, sed alijs se velle vivere: Non enim, inquit nobis solùm, sed patriæ nati sumus, ac proinde ejus animi esse, quòd omnibus animi corporis ac fortunæ bonis rempublicam, ac suos juvare velit. Dignum certè tanto Principe propositum; imò nulli magis quàm principi conveniens. Sunt enim non sibi, sed alijs nati, ac ideo præfecti alijs, ut regant, justiciam administrent, fontes plectant, ac infantes tueantur. Sine his enim principes non magis esse possunt, quàm pastor sine ovibus. Sunt enim non sui, sed subditorum causa à Deo creati, ac constituti.

turi. Si aliter sentiant, ac subditos spolient, non pastorum instar Duces, sed Tyranni luporum instar, qui non tondent, sed deglubunt pecus, dici debent, & sunt.

### HIS ARTIBUS.

Hieroglypton clavam, tres globos, ac gyrum ex filo ostendit. Instrumenta hæc sunt, quibus Theseus Minotaurum Labyrintho in Creta insula inclusum, interemit: Filo enim inter eundem extenso Labyrinthi vias, reditus gratiâ notavit. Globis piceis Minotauri faucibus injectis, morsus prohibuit, ac clava prostravit: Ita ut non solum vi, sed arte hostem superaverit. Symbolo HIS ARTIBVS Ducem etiam sibi proposuisse, supremam virtutis militaris gloriam, dubium non est. Dicitur enim hanc Hierographiam edidisse; dum in exercitijs militaribus in Flandria coram Carolo Quinto, cum Comite Egmondano, altero Minotaurum illi dimicandum esset, quem non sola vi, quam clava indicat, sed prudentia, quam filum, & sagacitate seu ingenio, quod globi indicant, se superare posse confidebat: Istis enim tribus facile robustiores vincuntur: Majora sæpe stratagema, quam vis in rebus bellicis præstat. Potest hæc Hierographia generalius exponi: Ducem videlicet adversa omnia, fortitudine, prudentia, ac ingenio superare velle: Fortitudine enim, ac ferendo patienter, adversa leviora facimus. Prudentia, ut minus noceant, nobisque utilia fiant, effcimus, ac ingenio quantum possumus à nobis arcemus.



*Octavius Farnesius Dux Placentiæ Parmæ et Castri ii  
Marchio Nouariæ S. Rom. Eccles. Generalis.*



*Alexander Farnesius Dux Placentiæ Parmæ et Castri  
iii Marchio Nouariæ Egues Aur. Vell. Gub. et Gener. Belgij.*



*Raimutus Farnesius Dux Placentiæ Parmæ et Castri iiiii  
Marchio Nouariæ Prefect. et General. S. Rom. Eccles.*



## VIRTUTIS IMPERIO.

Nulla arx, castrum, aut turris tam munita, cujus porta virtuti non pateat: Invia enim virtuti nulla via, tantaque est virtutis dignitas, ac majestas, ut adversis rebus omnibus imperet, sibi que subijciat, Ideo itaque Dux Octavius turrim porta aperta figuravit, ac VIRTUTIS IMPERIO non malè aperiri Symbolo notat; quod se suis virtutibus, benevolentia, mansuetudine, comitate, liberalitate, magnanimitate, ac justitia, nemini invisum; sed omnibus gratum acceptumque fore, omniumque arcium, civitatum, ac ædium januas sibi parere, sciat. Nam invisos tyrannos, ac vitijs deditos, populus liber, à finibus arcere, ijsque fores præcludere: bonos è contra, virtutibusque ornatos appetere, ac ad se allicere solet: Hæc enim virtutis efficacia & vis est, ut non solum à bonis, sed etiam ab improbis ametur, desideretur, & colatur.

## NUBES EXCEDIT.

Hac Hierographia, quæ montem Olympum, ac Symbolon NVBES EXCEDIT, continet, Dux iste ostendere voluit, se philosophum & Christianum esse, tranquillitatemque animi sui tantam esse, ut nullis fortunæ procellis, vel injurijs, aut malevolorum hominum machinationibus perturbari, aut offendi queat: Olympus enim Macedoniæ mons hæc indicat, quia tantæ altitudinis est; ut NVBES, Lucano teste (à quo Symbolum desumptum est) EXCEDAT, ac accolarum sacrificijs inserviat, qui quotannis jugum petunt, ac ibi sacrificant, victimisque exustis, cineres explanant, figurasque & literas nonnullas ijs inscribunt: Has quia clapsò anno, reversi illæsas, integrasque reperiunt; rectè nullum ibi ventum, aut pluviam unquam esse, vel fuisse colligunt. Licet etiam Olympum pro animo Ducis accipere, qui mundana omnia spernens, NVBES EXCEDIT, ac divina tantum æternaque appetit, ad quæ omnia sua dirigit. Verùm quid si juvenilius ista interpretari Dux velit, ac Hieroglypton cum Symbolo Olympiæ suæ applicarit? quam forma, elegantia, ac venustate, reliquas suæ ætatis Veneres, (ut Olympus reliquos montes) excedere; atque ab omni infamia & periculo, ut ille à ventis nubibusque immunis est, securam esse, ostendere vult.

## PLACENTIA FLORET.

Lupa Romanam Coloniam indicat, quòd Romani à Romulo: qui à Lupa educatus fuit, nomen habeat. Etsi autem nunc Romana Colonia non sit Placentia, sed proprium ac liberum habeat Principem: tamen antiquitus fuit. Vt itaque sub Romanis floruit: sic nunc sub isto Principe, quem corona indicat, florere cernitur. Appicta enim florentia lilia conspiciuntur, quæ odoris suavitate, formæ elegantia, ac coloris sinceritate, omnes alios flores antecellere videntur. Symbolum, quænam Colonia Romana floreat, indicat, videlicet Placentia. Lætatur itaque hac Hierographia Princeps, quòd sub ipsius imperio Placentia antiqua Romanorum Colonia, non minùs quam olim floreat. Laude profectò

profectò dignus hic Princeps, cui populi placent commoda, ac qui suos potius, quàm se florere cupit: Ipsis enim benè habentibus, aut florentibus, ille bene habet, ac floret. Cùm se solos florere volunt, & putant principes, specie florent, reipsa marcescunt: id postea rerum pericula, quæ populi auxilia poscunt, dum nulla sunt ostendunt.

## PLACentia ROMANorum COLONia.

Præcedenti scholio diximus Lupam Romanos, quòd Romulus illorum author à lupa nutritus sit, indicare: Ejus effigies hîc iterum exhibetur. Historia verò hæc est, cùm Amilius Numitorem fratrem, cui regnum legatum à patre fuerat, regno expulisset, ac stirpem ejus masculam interemisset, filiamque ejus, Rheam Sylviam vestalem virginem, ut spes partus perpetua virginitate illi adimeretur fecisset: Illa vi compressa incerto patre, geminos edidit, qui ab Amilio in fluentem aquam mitti jubebantur. Verùm cùm deferentes in proxima alluvie, pueris expositis, discederent, ac statim aqua recedens, illos in sicco reliquisset: Lupa sitiens ad aquam venit, ac ad pueros vagientes deflexa, submissas mammas illis præbebat, linguaque lambebat tantisper, donec Faustulus pastor surreptos pueros auferret, ac Laurentiæ uxori educandos daret. Istius Romanæ origins causa lupa pingi solet, & lupæ sculptura cum gemellis, adhuc hodie in capitolio ex Asphalto lapide conspicitur. Verùm non solum lupa, sed Tyberis, quia Romam præterfluit, Romanos indicare solet. Ob id, huic Hierographiæ appictus est cum sceptro, imperij videlicet signo. Mulier autem erecta, & Galeata victoriam, aut Romanam civitatem, aut Coloniam ipsius indicare potest, quæ florere Placentiam, quod dextra manu lilium, ac sinistra cornucopiæ, contineat, clarè ostendit. Si quis dubitet, Symbolum consulat: id enim figuram, etsi non integris verbis, explicat.

## SECURITAS PLACENTIÆ ET

P A R M Æ.

Securitas in Aegyptiorum Hieroglyphicis sella notari solebat, quod ea membra delassata, frui quiete possent: Securitas enim quies quædam animi est. Hîc duplex sella spectatur, una cui virgo securitas insidet, altera quæ ignem continet. Deindè virgo facem in manu habere cernitur, proculdubio ut ostendatur, quænam sit, aut in quo consistat securitas Placentiæ & Parmæ, ut Symbolum ait. Ignis itaque est, ac id quòd ignis mysticè significat: vigilantia nempe. Vt enim ignis, tenebras insidijs plenas pellit, ac minùs secura quæ sunt, lumine suo secura, & aperta facit, ita etiam vigilantia. Hac siquidem civitates, & arces ab hostium dolis, ac irruptionibus defenduntur, ac secura redduntur. Vbi nullæ sunt vigiliæ, aut excubiæ, facilè hostis vallum superat, ac munitiones etiam firmissimas occupat. Excubiæ vigilantissimis militibus poni debent, ut securi dormiant cives. Nisi fiat,

86.

fiat, nemini tuta dies, aut nox est. Id clarè ostenditur anseribus, qui malè vigilante Romano milite in capitolio contra Gallos, ipsi vigilans clangore alarumque strepitu, hostem clam capitolium ascendentem M. Manlio prodiderunt, ac rem Romanam ab imminente periculo liberarunt. Rectè iatque hoc loco ignis, id est vigilantia, securitas Placentiæ & Parmæ constituitur: Hæc enim non solùm apertos hostes fallit, ac eorum conatus irritos reddit, sed etiam vicinos, qui per fas, nefasque limites extendere, & omnia ad se rapere nimia imperandi cupidine incensum, si volunt, illudere potest.



Franciaus Rouerus Urbini Dux I  
Prefectus et Generalis Urbis Romae.

Guido Vbalanus Rouerus Feltrinus I  
Urbini et Soie Dux II. Prefec. Urb. Rom.



Franciscus Maria Rouerus Urbini Dux  
III Generalis supremus Venet. Reip.

Laurentius Medices Urbini Dux IIII  
nepos PP. Clem. VII. Prefectus Urb. Rom.



Otto Antonius Rouerus Urbini Dux  
V. Prefectus et Generalis Urb. Romae.

Guido Vbalanus II. Rouerus Urbini Dux  
VI. Pref. Urb. Rom. Gener. sup. Ven. Reip.



## NON QVOVIS TEROR.

Silex in medio, ac ignitabula tria circum disposita in hac Hierographia cernuntur. Omnes silici minantur ictus, sed ille NON QVOVIS (ut ait Symbolum) TERITUR: Quia etiamsi allidatur patique vehementer dum ignem excutit, videatur; tamen si ab ignitabulo ferreo percutiatur, non teritur ipse, sed potius ferrum: mollius enim silice. Propterea ut patiat ac ignem generet, & promat, ex chalybe fieri ignitabulum debet: Hujus enim duritiei cedit, ac atomos à se ignitos, percussus eijcit. Quomodo autem ignis illisione illa generetur difficile scitu est. Ego & motum illum velocissimum, quo corpora dura alliduntur, & sulphur tum lapidis, tum chalybis, solidæ materiæ inhærens, & combustibile, generationis ignis esse existimo: Motum enim, ignem ex materia inflammabili generare, docent ligna in se mutuo affricta, quæ facile ignem concipiunt, & duriores lapides molaribus terendi causa adhibiti, qui in aquis scintillas ignis eijciunt. Rectè itaque Symbolo, se NON à QVOVIS TERI ait Mysta: Ferenda enim multa sunt in hac vita, neq; magnanimi est statim despondere animum. Sive hostes, sive infortunia præmanibus sint, & non parum offenderint, resumendus animus, ac illata damna nihili facienda, vincendaque virtute fortuna est. Qui hæc præstare potest, nihil in illum cadere poterit, à quo teratur aut miser fiat: Animus enim est, qui teritur. Is si fortis & constans silicis instar sit, illæsus permanet, ac adversa, neque injucunda, neque gravia percipit.

## VIRTUS UNITA.

Virtutem unitam fortiorem esse dispersa, vetus est philosophorum sententia. Pro virtutis exemplo hic Elephas depingitur animal ut cæteris majus, ita robustius. Conspicitur hîc fascijs ligatus, ut unio illa virium proculdubio significetur. Verùm quid fuci, aut muscæ elephantem vexantes notent, difficile conjectu: Nisi fortè vires dispersas indicent. Nam innumeræ, & separatæ, ut in Hieroglypto apparent, nihil præstare posse, nihilque virium habere cuiusvis notum est. Mysticè autem hæc ita interpretari possunt. Principes nempe virosque magnos, dum omnes suos concordēs & unanimes habent, majores habere vires, quàm si discordes sint, & non convenient; Ac muscarum aut fucorum, id est adversariorum, & hostium fraudes, conatus, & impetus faciliùs ferre posse. Sumpsit fortassis ideo hanc Hierographiam Princeps: ut studiosè suos concordēs semper servaret, eaque ratione rerum ubertatem majorem, & reipublicæ suæ statum firmiorem consequeretur: Concordia enim res parvæ crescunt & discordia maximè dilabuntur. Rarò bene uniti, bello superari, disjuncti facillimè possunt. Princeps qui facilè hostes superare vult, stratagemate illos disjungat, nullo labore superabit.

## NON DEGENER ADDAM.

Candela ardens depellit tenebras, & tanquam lucis parens, innumeras alias accendere potest. Mystæ manus minores candelas comprehendens ait Symbolo: NON DEGENER ADDAM: supple lucem.  
Can-



Candelæ parentes suos eleganter comparat, quòd virtutibus suis tanquam luce totâ Italiâ illustrarint. Manu & candelis se, ac Symbolo animi propositum seu gnomen notat. Nempe se non solùm non degenerem parentibus fore, verùm etiam illorum lumini ac virtutibus, plus adjecturum, aut si fieri possit, illos se superaturum; ut vere dicere cum Cic. possit: præluxi meis majoribus. Laude profectò dignum est maxima, hunc Principem, & quosvis alios, majores suos non solùm æquare virtute, sed superare velle. Virtutis studium præcis philosophis cæteris omnibus semper præpositum, ac in summo honore habitum fuit.

## SEMPER.

Annulus hîc adamante gemma ornatus depingitur. Huic tres pennæ, vel plumæ apponuntur. Pennæ haud dubiæ tres ipsius adamantis præcipuas qualitatés, aut dotes notant. Pulchritudinem, qua eximiè nitet & micat: Fortitudinem, qua igni, & ferro resistit, ac phisicam facultatem & virtutem, qua terriculamenta, incubos, adulteria, phantasmata, ac insomnia arcere creditur. Symbolum ait SEMPER: Vt itaque adamas his tribus ornatus dotibus, SEMPER constanter permanet: ita etiam Mysta semper fortitudinem, ac patientiam ad ferenda mala, & humanos casus; pulchritudinem, & nitorem conscientiæ, quo Deo gratus esse, ac virtutem, qua se suosque regere possit, sibi colendam, & constanter servandam esse proposuit. Hac Hierographia multi ex Medicea familia dicuntur usi, pennasque varijs coloribus depinxisse, videlicet viridi, albo ac rubro: Quibus multorum sententia, fides, spes, ac charitas notabantur: Fides albo, spes viridi, ac charitas rubeo: ut hoc modo ostenderent, se istis virtutibus SEMPER florere, Deum amare, ac ejus regni, illorum ope compotes fore.

## EA SOLA VOLUPTAS.

Bubo apud Romanos, teste Plinio, funebris, & maximè ominosus, publicis præcipuè auspicijs, deserta incolit, nec tantùm desolata, sed dira etiam, & inaccessa: noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Aridas arbores, & exesos truncos amat, in quibus hære & latere die solet: nam lucem meridianam ferre non potest, aut aliarum avium societatem, quam fugit, & odit, solam amans solitudinem. Trunco igitur insidet in hoc Hieroglypto, ut solitudinem designet. Quam Mysta Symbolo sibi solam voluptati esse asserit. Sapienter profectò, si non quævis solitudo, sed ea tantùm, quæ ab omnibus vanis ac mundanis turbis hominem liberat ac solo Deo omnipotenti consecrat, vitiaque omnia, & voluptates, mundi que illecebras ac leviorum hominum conventus contemnit, & deserit, intelligatur. Hæc enim solitudo meritò sapienti sola voluptati esse debet, quod ea ad vitam cœlestem detur aditus, quem mundana omnia præcludere solent.

## ΦΙΛΑΡΕΤΟΤΑΤΩΙ.

id est:

## VIRTUTIS AMANTISSIMO.

Symbolum Græcum est, à duabus compositum dictonibus, superlativi gradus: Latinè virtutis amantissimo reddi optimè potest. In Hieroglypto tres pyramides conspiciuntur aræ impositæ, affixæ, aut superstructæ, quæ metas notant. Nam ad has tum Græci, tum Romani currere bigis, quadrigis aut etiam pedibus, in circis, quales complures Romæ fuerunt, solebant. Qui primi metas attingebant, victores coronabantur, aut propositum præmium consequebantur. Vt versus indicat:

*Qui cupit optatam cursu contingere metam?*

Hac itaque Hierographia ostendere Dux iste voluit, verum gloriæ præmium ijs, qui virtutem sequuntur, & amant, deberi. Ac proinde se omni conatu, tanquam ad metam propositam, eò omnia sua dirigere, & disponere: ut virtute adepta, gloriam apud suos, posterisque ac

immortalem vitam apud Deum consequi possit:

Hæc enim veræ virtutis sunt

præmia.



Guido Vbalanus II. Rover. Urbini Dux  
V. Prof. Urbis. et Generalis Ven. Reip.

Julia Varana. Ioan. Marię Gamerini  
Ducis filia. Guido Vbalanus Duc. Vxor.



Lanina Roverca. Principissa Urbini  
Guido Vbalanus Ducis filia

Franciscus Maria II. Rovercus Urbini  
Dux VI. Praefectus Urbis Romę.



Franciscus Maria II. Rovercus Urbini Dux VI.  
Praefectus Urbis Romę.



## MERITIS MINORA.

Dux iste Gvidovbaldus multos suæ ætatis principes, virtutis gloria superasse, ac iusticia, comitate, omniq̄ue humanitatis, & officiorum genere, suos tanquam fratres, & filios rexisse fertur. Eam laudem non solum domi, sed etiam foris, & militiæ sibi peperisse dicitur: ubi fortitudo, magnanimitas, ac diligentia, (quæ præcipuè in militia requiruntur) cæteris ipsius virtutib<sup>9</sup> præluxerunt. Non immerito itaq; Ludovicus Dominicus, omni literarum genere ornatissimus, illi Hierographiam istam exstruxit: videlicet currum triumphalem spolijs repletum, ac corona laurea ornatum: Quo curruum genere, Romanorum duces devictis hostibus in urbem, albis equis tracti, triumphantisque vehantur; cùm nullus honor major illis à Senatu Romano daretur. Hoc honore & majore ob virtutes, ac merita, hunc Principem dignum fuisse, atque MERITIS MINORA omnia, quæ spectantur, sive spolia, sive coronam, sive currus & equorum majestatem consideres, esse, significare Guidovbaldus voluit.

## ADVERSIS ADVERSA SOLATIO.

Rota hîc fortunæ conspicitur, adversis utrinque manibus, aut brachijs comprehensa. Symbolum ADVERSIS ADVERSA SOLATIO esse dicit. Id rectè figura explicat: Vix enim una manus, & inferior stabilem, & immobilem rotam continere, quin nutet in utramvis partem, potest. Verùm si adversam rotæ partem, altera manus contineat: jam quævis solatium habet, ac sine molestia rotam quietam contineri posse, nemo dubitat. Sic in rebus adversis contingit: Dum enim fortunæ injurijs premimur, ac calamitatibus obruimur, facilius eas perferre possumus: si nos non solos, sed complures alios idem sufferre videmus. Nam

*Solatium miseris socios habere pœnarum.*

Si quis causam quærat, hanc assero: quòd dum alios simili modo opprimi, ac torqueri videmus, neque intrinsecus, quem ferunt dolorem, apparet: fortitudinem ac patientiam miramur, & imitari dum patiendo conamur, occultum nostrum dolorem animiq̄ue anxietatem levamus, & minuimus. Verè itaque adversis adversa esse solatio dicitur.

## AD LACHRYMAS.

Sive hoc loco Draco, sive Basiliscus pro Hieroglypto exhibeatur, idem est: utrumq; enim animal homini inimicum & venenatum est. Draco halitu: Basiliscus visu, & sibilo necare dicitur. Verùm num Basiliscus in rerum natura sit, multi dubitant. Narratur à Gallo septennali gigni, ac ex ovo molli crumpere, aërem inficere, omneq̄ue animal sibillo interficere. Ad Draconis figuram propius accedere Hieroglypton videtur. Nam in Simplicium apud Rudolphum Imperatorem Secundum musæo, exiccatus non absimilis conspicitur. Draco Sathanæ simulachrum hominis hostis genuit, ac AD LACHRYMAS venit, dum Deus, religio, & pietas

93.

pietas colitur. Quid mirum itaque hanc Laviniam tanti Principis filiam, sibi ipsi bona sua conscientia gratulari, ac lætari, quod hostem suum Sathanam ac ipsius technas, & machinationes numinis auxilio superaverit, ac AD LACHRYMAS coegerit. Quod si invidos, malevolos ac detractores, draconis effigie notari velimus, ac Laviniam gaudere, quod non solum ab illis lædi non possit, sed quod sua foelicitate illos ad lachrymas & gemitus deducat: recte Hierographiam explicabimus: Nam mali & invidi aliorum foelicitate lachrymantur, dolent, & tabescunt, teste Horat:

*Invidus alterius rebus marcescit opimis.*

Ait Seneca: utinam invidi oculos haberent in omnibus civitatibus, ut omnium foelicitatibus torquerentur. Nam quanta foelicium sunt gaudia, tanti invidorum sunt gemitus. Idem ait alio loco: nunquam melius torquebis invidos, quam virtuti, & gloriae serviendo. Eleganter itaque adversarios gementes, aut AD LACHRYMAS redactos, Hieroglypto expressit hæc Principissa.

### NON DEEST GENEROSO IN PE- CTORE VIRTUS.

Generositatis, ac magnanimitatis signum, hinc esse Leonem, Symbolum, & leonis natura, satis explicant: Illi enim præcipua generositas tunc, cum colla armosque vestiunt iubet. Injurias acriter ulcisci solet: odore Pardi coitum sentit in adultera, totaque vi consurgit in pænam: idcirco aut culpam flumine abluit, aut longius comitatur. Generositati annumeratur, quod in supplices utatur clementia, prostratis parcat, ac in viros prius, quam in foeminas fremat, in infantes non nisi magna fame. Credit Libia, Plinio teste, intellectum ad eos pervenire præcum. Hinc ipse narrat, captivam reducem multorum in sylvis impetum mitigasse alloquio, aufamque fuisse, dicere se foeminam profugam, infirmam, supplicem, animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis, indignam ejus gloria prædam, ac his auditis, leonem discessisse, intacta muliere. Nos alio casu discessisse, nequaquam sermonem, quem nunquam audierat, multo minus didicerat, intellexisse, existimamus. Hoc verum narratur, quod vulneratus observatione mira percussorem noscat, & ad vindictam sumendam in quantalibet multitudine appetat. Datur in hoc Hieroglypto illi in manu seu anteriori pede gladius, ut injurias ulcisci posse indicaretur. Appositè profecto: quia jam Franciscus Maria author Hierographiæ Cardinalem Papiensem Ravennæ propria manu propter gravissimas perpeffas ab illo injurias, interfecerat: in cujus rei memoriam, ac ad terrendum inquietos, & petulantes animos, hanc non Hierographiam, sed Mystographiam potius in lucem edidit: qua sibi non deesse generosum pectus, ad illatas injurias ulciscendas, ostendere voluit. Politicè optimè sed non piè.

### INCLINATA RESURGO.

Rem mirandam Aristot. in septimo Problematum, & Plutarchus in septimo Symposiacorum narrat: Si inquit supra Palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, oneresque ut magnitudo  
oneris

oneris sustineri non queat, non tamen deorsum palma cedit, nec intra  
 flectitur, sed adversus pondus resurgit & sursum nititur, recurvaturque.  
 Propterea inquit Plutarchus: in certaminibus, Palmam signum esse placuit  
 victoriæ, quoniam ejusmodi est, ut urgentibus opprimentibusque non ce-  
 dat. Ad hujus palmæ naturam respexit Iovius, dum huic Principi Hiero-  
 graphiam hanc exstruxit. Non quidem lignum exhibens (quod digno-  
 sci non potuisset) sed ipsius arboris figuram, quam divisam saxo oneravit,  
 adjecto Symbolo **INCLINATA RESURGO**. Hac itaque  
 Hierographia ostendere voluit: ut palma lignum onere pressum, non  
 solum non deprimitur, sed contra nititur, ac altius resurgit; ita etiam ma-  
 gnum, fortemque Ducis animum, non solum fortunæ telis, aut oneribus,  
 non opprimi; sed è contra altiùs elevari. Hoc enim proprium est fortis  
 animi, adversa contemnere, ac ex ijs secundas res elicere. Qui adversis  
 non flectitur palmæ instar, verè fortis est, ac ferendo onera, sublevatur

### INCLINATA RESURGO.

Præcedente Hierographia altera pars arboris inclinatur, hinc palmæ  
 tantum ramulus. Significatio prorsus eadem, de ligno, (ut supra nota-  
 vimus) non de ramis accipiendum Symbolum: Palmæ enim rami onerati  
 nunquam resurgunt. Lignum oneratum non flectitur, sed contra  
 nititur ac fornicatur, ita ut cum pondere ascendere videatur. Dicitur  
 Dux hanc & superiorem Hierographiam, Iovio inventore, erexisse tunc  
 temporis, cum à Papa Leone ablatum Principatum, iterum recuperaret,  
 ac amicitia inita cum Balionijs, Iulioque Cardinali de Medices (qui postea  
 creatus fuit Papa Clemens septimus) generalis reipubl. Venetæ Præfectus  
 eligeretur: Præfecturæ dignitatem, summo honore fœlici que fortuna,  
 multis rebus domi militiæque benè gestis, ad funera usque servavit.

Testatum itaque voluit hac Hierographia, se, etiam si antea  
 oppressus fortuna adversa fuerit, tamen non de-  
 spondisse animum, sed erexisse, tandemque  
 palmæ instar resurrexisse, ac  
 ad meliora venisse.

\* \* \*

INCLINATA RESURGO.

INCLINATA RESURGO.

Lucretia Estensis Ducissa Urbini  
Francisci Mariae uxor Alphon. Duc. Ferr. sor.

Vespassianus Gonzaga Dux Traiecti  
et Sabionede Eques Aurei Velleris.



Vespassianus Gonzaga Dux Traiecti et Sabionede Vice  
Rex Navarrae Eques Aurei Velleris



Ferdinandus Gonzaga Dux Dariani Marchio Cuastalle Princeps Malpheta  
Eques Aurei Velleris Vice Rex Siciliae Generalis Car. V. Imp. Cub. Med.



## UT CRESCIT.

Palma arbor ad extremam fluminis ripam excrescit, ac à vento, ne in flumen deiciatur, & à flumine, ne terra, cui radices infixæ sunt, ablata, in flumen incidat, periclitatur. Palmam jam sæpius victoriam significare diximus. Fluctus, & venti, fortunæ impetus notant. Ostendere itaque hæc Principissa velle videtur, crescente victoria, etiam crescere hostes. Verùm non de ea, quæ bellis comparari victoria solet, hîc agitur; sed de ea quæ fœmineo sexui magis convenit; rationis nempe. Quæ quò magis ætate crescit, ac vitijs dominari conatur, eò plures hostes nanciscitur, majusque præmium, si victoriam adipiscatur, meretur: Hæc enim humanæ naturæ conditio, ac is status est, ut ætate ad omne flagitij genus deteriores, nisi ratio effrenes affectus domet, reddamur. Si frenet ac domet, instarque palmæ istius, tam periculoso loco expositæ, ventos, ac flumina ferat: jam victoriæ non solum initium, sed finis est, ejusque præmium vita æterna, quæ illi tantùm, qui legitimè certaverit, debetur. Eam sibi deberi hæc Principissa mysticè indicare voluit, dum se, (ut in Hieroglypto palma immota & inconcussa stat) per totum vitæ curriculum, vitijs restitisse demonstrat.

## DECUS ET TUTAMEN IN

## ARMIS.

Arma quædam ad offendendum, quædam ad defendendum sunt. Animalibus ijs, qui ex præda non vivunt, omnia ad tutandum se tantùm producta videntur. Ea ita aptè composuit natura, ut non solum tutelæ causa, sed etiam ornamento, & decori sint. Inter cætera animalia Histrix pilos gallinaceis pennis crassiores pedis longitudine, toto corpori ita insertos, ac variegatos, nunc nigro nunc albo colore habet, ut à nullo animali attingi, aut comprehendi possit; Imò ita dispositi sunt, ut si venantium venatorum diligentia in discrimen ponatur, à se satis procul, contracta cute, in adversarium pilos mucronatos ejaculari possit: Ita ut non solum decori & ornamento illi sint hujusmodi pili, sed etiam vice pilæ Romanæ, quæ quatuor cubitos longa, in hostem initio conflictus jaci solebat. Ad istius animalis naturam alludit Mysta, ac generoso principi necessaria arma esse ostendit. Tum ut decus, tum etiam ut securitas status conservetur. Arma siquidem principes decent: quòd retinendæ justitiæ, ac pacis recuperandæ, conservandæque sint instrumenta: Sine his enim, neque fontes puniri, neque infontes tuti esse possunt.

## HIS IMPII TERRENTUR.

Fulminis jacula tria conspiciuntur, quæ Iuppiter nequitia vindex, emittere in sceleratos solet. Vnum tangit, alterum urit, tertium findit. Ait Symbolum: HIS IMPII TERRENTVR. Et verè; quis enim non metuat numinis iram & ipsius sagittas, quæ incautum momento trajiciunt, cujusq; ictus nullum scutum, aut parma excipere, aut illudere potest? Sive quis eum, qui jaculatur, sive modum, quo ejaculantur, sive vim & materiam ipsorum perpendere velit, omnia terrore plena sunt. Numine enim



ne enim ad vindictam parato in impios: Quid impijs terribilius esse potest? Horrendo etiam illo sonitu & tonitru, quod fulmen sequi solet, quod terra ipsa tremit, quidnam magis terrere possit haud video? Nisi forte vis, & materia ipsa cui nihil pervium, quae omnia deijcit, exurit, findit ac penetrat, praeter ceteris omnibus, metum, horrorem, ac terrorem sceleratis incuriat. Tanta enim fulguris, ac jaculi illius vis, indies conspicitur; ut vastissimas arbores deijciat, & findat, muros densissimos penetret; enses in vaginis, illaesa vagina liquefaciat; beluas, homines, occulto suo igne, ac spiritu momento exurat, ac enecet; Incendijs civitates vastet; aliaque quamplurima supra naturae cursum efficiat. Interdum fulminis jaculo lapis adijcitur, cunei aut securis instar, gravissimus, durissimus, colore ex albedine fusco, ex quo ignis elicitur; Ceraunius à nonnullis appellatus. Hic vi dejectus si muros penetret, mirum non est: cum Bisalte durior sit: Foramen habet quasi manubrij inferendi causam factum fuisset. HIS itaque numinis armis IMPII proculdubio TERRENTVR, ut Symbolum ait, ac ut his; ita non minus, poenis severisque legibus, quod mens Mystræ tendit. Ostendere enim vult, se justiciam colere, ac malos, impios, sceleratosque homines minis, poenisque detertere, atque ad officia cogere, ut probi tuto & quiete vivere possint. Principe sane magnanimo dignum, & non satis laudatum propositum.

## JUVAT EMPTA LABORE

### GLORIA.

Camelos inter armenta pascit oriens, quorum duo genera Baetria- ni & Arabici: Differunt, quod illi bina habent tubera in dorso: hi singula ac à nonnullis dromedarij appellantur, quod celerius ceteris currant: talis hoc loco exhibetur. Camelus non ultra assuetum procedit spatium, nec plus instituto onere, quam commodè ferre possit, recipit. Sitim quadriduo tolerat, impleturque cum bibendi occasio est, & in praesens & in futurum, obculcata proculcatione prius aqua: alias potu non gaudet. Tantae celeritatis dromedarius esse fertur, ut centum miliaria uno die conficere possit. Incediam per deserta multis diebus ferre, ac tenui victu saturari potest; urticis praeter ceteris libentissimè vescitur: Dum onera suscipit genua flectit, ac inflexus manet, donec quantum bajulate velit, impositum fuerit, tum assurgit. Si nimium imponatur, non surgit, sed volutatur, donec onere levetur. Ab ejus natura desumpta est haec Hierographia: Ut enim Camelus dum longa itinera oneratus facere potest: copiosiori meliori que cibo alitur, ac non solum pro laboris praemio laudem, sed cibum consequitur. Ita viri fortis gloria, labore & periculis parta, (quod propria, non aliena virtute, aut fortuna habeatur) gratior ac majori praemio digna est: Vbi enim plus laboris, ibi plus meriti esse debet. Non malè itaque Symbolum IVVARE EMPTAM LABORE GLORIAM dicit. Iuvat autem & pascit animum proprijs laboribus adeptae gloriae recordatio. Inquit ille:

*Quod fuit durum pati meminisse dulce est.*

& ait Aeneas: *Forsan & haec olim meminisse juvabit.*

K

VIVO

VIVO O MORTO,  
id est:  
VIVA AUT MORTUA.

Aquila avium omnium regina, ac imperatrix, præ cæteris avibus animosa est. Ob id ejus figura legionibus Romanorum prægestari pro signis militaribus solebat, & adhuc hodie Imperatorum Romanorum scutis gentilitijs inseritur biceps. Notat autem hoc loco authorem Hieroglyphicæ Ferdinandum Gonzagam, Imperatoris nomine belligerantem; Quia vero ad arcem, in jugo montis constitutâ dirigit volatum, & Symbolo ait: VIVO O MORTO, id est, viva aut mortua, (supple ad arcem perveniam) indicatur animus Ducis; qui arcem, quam obsidere conatur, aut scopum, quem consequi sperat, se neglectis periculis omnibus, quæ in Hieroglypto maris latitudine, montis altitudine, ac itineris longitudine significantur, se capere, aut mori velle, ostendit. Generosi enim ac magnanimi est, neque pericula, neque mortem metuere ac vel vincere, & optata adipisci, vel mori velle: veræ fortitudinis & constantiæ signum. Cavere tamen duces debent, ne dum constantiam ac fortitudinem in rebus periculosis quærunt, in pertinaciam incidant. Hæc enim sæpe constantiæ specie fallit, belli ducibus imprimis vitanda. Dum enim ijs consequendis student, quæ prudentum judicio obtineri non possunt, multas rei benè gerendæ occasiones non solum amittunt, sed rem suam perdunt.

SIC ALIAS DEVORAT UNA MEAS.

Manipulus hinc plumarum vel pennarum diversi generis avium conspicitur. Symbolum ait, unam aquilæ nempe pennam, alias devorare. Scribitur enim à Plinio eam habere naturam pennam aquilæ, ut si inter aliarum avium pennas ponatur, illas consumat, & ad teredinem vel tabem deducat. Multæ sunt hujusmodi etiam rerum inanimatarum antipathiæ, ita ut alterum alterum non ferat. Filicis & arundinis tanta esse dicitur, ut si falx filice muniatur, & arundines ea secentur, nunquam postea renascantur. Magnetis etiam & allij tanta, ut eo inunctus, vim suam trahendi ferrum, plane amittat: Quorum omnium dissensus ratio, homini planè abdita est. Pennis vel plumis olim galeæ Romanorum ornabantur, ut hosti majores, & terribiliores apparerent, faciliusque victoriam obtinerent. Nunc Ungari, quot Turcas interfecerunt, tot gruum pennas galeis aut pileolis imponere solent, ita pennæ illis victoriæ signa sunt. Fortassis ab istorum moribus Ferdinandus Gonzaga Hieroglypton desumpsit, sibi que applicavit. Nam cum privatas, variasque contra inimicos victorias obtinisset, indicare voluit celebriorem unam, quam aquilæ bicipitis, Imperatoris videlicet nomine obtinuit: (illius enim fuit supremus belli Dux) alias omnes obscuras reddere, obliterare ac extinguere.



Cesar Gonzaga Dux Dariani March.  
Guastalle Princeps Mafphete.

Ferdinandus Gonzaga Dux Dariani  
Marchio Gastalle Princeps Mafph.



Hippolita Gonzaga Principissa Melphete Ferdinandi Ducis  
filia.



Julius Cesar Gonzaga S. Rom. Imp.  
Princeps et Bozoli Dñs S. Marti.

Pyrrus Gonzaga S. Romani Imperij  
Princeps Dñs S Martini.



## HÆC EST SOLA NOSTRA GLORIA.

Nihil laudabilius Principi, quàm vitia omnesque prava animi affectus vincere, ac eos quibus à Deo præfectus est, iusto & æquo imperio regere. Victoria enim, qua vitia animi superat, & virtutem sequitur, subditis bono exemplo est, eosque ad simile virtutis studium incitat, provocatque. Imperio verò iusto, prava à criminibus absterret, bonosque quietis amantes tuetur, illorumque vitam jucundam, & securam facit. Quis itaque non laudet istius Cæsaris propositum? qui se victoria (quam palmæ ramus indicat, & sceptro, quod imperium notat) gloriari, Symbolo ostendit. Vera profectò victoria, dominari affectibus, veraque gloria iustè, ac æquè suis posse imperare. Qui vitij dediti sunt Principes, aulam similibus conspurcant, ac dignitatis decorem maculant. Nam ut ait ille: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Qui imperio aut legibus non utuntur, ignavi sunt, malorum ac sceleratorum hominum fulcrum, bonorum exitium, proprijque status brevi collapsuri causa fiunt.

## NEMO SINE TE.

Quia dum filius Dei Christus baptisaretur à beato Ioanne in deserto, tertia persona Trinitatis, Spiritus sanctus, columbæ figura apparuit; solet à Christianis pictoribus columbæ imagine adhuc hodie persona illa divinitatis figurari, ac depingi. Manus lumen à radijs illius Spiritus petens, ipsum Ferdinandum Gonzagam authorem Hierographiæ notat: qui fatetur absque Spiritu sancto neminem lumen aliquod habere, aut consequi posse. Verè profectò: Nam de externo hoc & visibili lumine, hinc non agitur: sed de interno intellectu; qui nisi ab hoc divino Lumine illustretur, tenebris obruitur, nihilque agnoscere, quod ad salutem animæ facit, potest. Piè itaque hic Princeps numinis illius vim, ac sine ipso neminem aliquid efficere, quod sibi vel alijs emolumento esse possit, agnoscit.

## PAR UBIQUE POTESTAS.

Cernitur hinc Cerberus Typhone, & Echidna natus inferorum canistriceps ante fores Platonis. Is ingredientibus blanditur: sed ingresses ab egressu altissimis maximèque horrendis latratibus deterrendo prohibet. Diana venationis Dea, Virginum decus, castitatisque imago, & Sol Dianam illustrans, hoc loco etiam conspicitur. Hoc Hieroglypto satis obscuro, existimo Hippolitam castitatem profiteri voluisse: Nam ut Cerberus Platonis ostium optimè contra egressuros custodit, ac Dianam blanditijs ad se pellicere conatur, ita illa se corpus ab omnibus illecebris, ac vitiorum blanditijs, Sathanæque tentationibus immaculatum conservare, PARI UBIQUE POTESTATE posse ostendit. Proinde quantum valet Cerberus ad alliciendum, tantum se ad repellendum & resistendum Solis radijs, hoc est divino iuvante auxilio, valere. Id enim si menti affulserit, facilè Sathanæ blanditiæ, & irritamenta superantur, irritaque

taque redduntur, & castitas inviolata servatur. Narratur de Eusebio Episcopo, & martyre, quod virginitatem ab ineunte ætate sollicitè custoditam, Deo protegente nullius insidijs amittere potuerit. Mulier enim quædam forma illius capta, cum ad ipsum impudenter irrumperere vellet, cubiculum aditu aperto, intrare non potuit: & culpæ conscia, ac terrore simul percussa, ante januam, excitato Episcopo, crimen confitendo, veniam impetravit. Ita Dei auxilio miraculosè castitatem servavit.

### VIRTUTIS FORMÆQUE PRÆVIA.

Exhibetur hîc Aurora, Solis, & Lunæ soror: quæ præcedenti Hieroglypto describuntur. Dicitur Aurora Solis prævia, quod Sol eam brevi sequatur. Huic digitos roseos tribuit Homerus, propter colorem subrubentem, quo cælum tingit. Vehitur aurea sede à Pegaso equo alato, & cœlesti. Hoc Hieroglypto Principissa vigilantiam & diligentiam describere videtur; Diligentia enim nota alatus equus & Pegasus, non solum pernici cursu, sed & volatu est. Vigilantia signum gallus ad Rhedam trahendam adhibitus, & mulier facem manu præ se ferens, notare potest. Vtræque, virtuti veræ comparandæ necessaria, & tanquam viæ: ut aurora Solis prævia est. Virtutis enim habitus absque assiduo exercitio, summaque diligentia, propter naturæ ad improba propensionem non acquiritur. Huic vigilantia connecti debet, cum neutra absque altera aliquid possit: Vigilantia enim præcauentur pericula, quæ virtutis exercitia impediunt, & remorantur, ac diligentia virtutis actiones in habitum transeunt.

### FRUSTRATA NON DESINAM.

Arbor & Sagitta in hoc Hieroglypto fulminis telo fracta ac amputata cernitur: Volans aquila supra dejectæ arboris ramos quiescere, aut nidificare cupit, sed non potest: dolet itaque fortunam suam, ac ait: FRUSTRATA, videlicet requie, NON DESINAM, donec alias arbores, aut mihi convenientem locum inveniam. Aquila ut avium princeps est, ita Principem istum notat, qui etiamsi animi sui proposito optatus eventus non respondeat, se tamen animum propterea non despondere, sed quidvis tentare velle: ut tandem, quod cupit, consequatur, ostendere vult. Qua in re constantia ipsius summopere laudanda est: In rebus enim arduis & magnis, etiamsi initio sepe frustremur desiderato rei alicujus eventu: non tamen propterea desinere, sed perseverare patièdo & agendo debemus: Sæpe enim una horula occasionem rei gerendæ præbet, quam aliàs magno labore assequi non possumus. Quinetiam & labor ipse improbus omnia vincit: Nec est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, & cui non crescit animus, ipsa rerum difficultate. Perseverandum itaque patientia, & labore, ut optata, aquilæ exemplo, (quæ in prædam semel intenta, eam donec rapiat non relinquit,) consequamur.

### FESTINATA MINUUNTUR.

Nihil veriùs, quàm in rebus omnibus festinationem plurimum nocere: In consilijis enim rerum publicarum festinatio nimia, arduarum ac

graviorum rerum pericula non satis examinat, ac ponderat. Hinc fit plerunq; præter opinionem res malè geri ac reipub. statum labefactari & ruerè. In actionibus perturbat agentem, & præcipitat: ut in rebus bellicis sæpe contingit, in quibus nimia festinatio, integros interdum exercitus peripit, cū sine ordine, & tumultuariè acies instruitur, aut fuga, vix viso hoste, capitur. Ne itaque damnum aliquod festinatio inducat, admonere nos philosophi solent aurea sententia: festina lente, ut festinatio maturo consilio ac circumspecta actione coërceatur. Quo pacto autem festinata minuatur, ut Symbolum asserit, clarum non est: Videtur tamen pigmeus, ac arbuscula id explicare: nam pigmeus citiùs alijs hominibus excrescit, minoremque alijs staturam habet. Stirpes etiam, arbusculæ ac herbæ, quò citiùs excrescunt, eò etiam minores sunt. Arbores, ut quercus, tilia & nux quò tardiùs crescunt, eò majores evadunt. Voluit itaque hîc indicare Mytha, majora semper esse ea, quæ paulatim conquiruntur, quàm quæ festinâter. Proinde honores festinanter acquisitos, lōgè minores ijs, qui paulatim arborum excelsarum instar radices magnas & firmas egerunt. Tales enim, quia basim habent, semper augentur, & non facilè ruunt: Vt è contra, qui citò homini adveniunt, rarò augeri diu solent: Quod enim citò fit, citò perit: & quod radice firma caret, facilè evellitur.



FRUSTRATA NON DESINAM.

FRUSTRATA MINUITUR.

Horatius Gonzaga S.R. Imp. Princ.  
Marchio Soluarini. Pincer. Max. Imp.

Andreas Gonzaga Marchio Guastala.  
eti filius Ferrimanai Marchio



Ludovicus Gonzaga S. Rom. Imp. Prin.  
Marchio Castilionis Dns. Castri Iuure

Aloysius Gonzaga S.R. Imp. Prin.  
Marchio Castilionis et Soluarini



Curtius Gonzaga S. Rom. Imp. Princeps  
Marchio Castilionis etc.

Sigismundus Gonzaga S. Rom.  
Imperij Princeps.



## HIS DEUS OTIA FECIT.

Horatius iste Gonzaga, cùm Cæsari Maximiliano in rebus bellis diu inservivisset, ac ad graviores ætatem pervenisset, rebusque gerendis non amplius aptus sibi propter senectutem videretur: dicitur hanc Hierographiam edidisse, qua exhibet partem navis, rotam unam, ac coronam, quæ utrumque complectitur. Symbolo Hieroglypton satis explicatur: Nam navis parte, se mari, ac rota, se terra, Imperatori ita fideliter inservivisse, ut lauream illam appictam coronam, id est, æternam laudem & gloriam meritus fuerit, ostendere voluit. Verùm ut neque pars navis utilis amplius ad navigandum, neque una rota ad vehendum cuiquam commodè inservire potest: ita nec se ætate gravem, amplius posse: proinde emeritum esse, Dei que voluntate, qui omnibus rebus & laboribus finem tandem imponit, neque supra vires ac ætatem quicquam fieri permittit, sibi jam quiescendum & otia dandum esse: Natura enim & Deus Senibus otia non voluntaria, sed necessaria facit.

## QVI VIVENS LÆDIT MORTE

M E D E T U R.

Scorpius depingitur, animal exiguum, vix majus ipsa figura, qua hinc exprimitur, plerunque ex atro colore rubescit, multoties albicat, virescit, alijque coloribus ad flavedinem tendit. Venenatum animal, in cauda habens venenum: ibi enim aculeum habet ac exiguum sacculum, cui humor aliquis inest virosus & exitialis, ex hoc aculeum humectatur. Signa à scorpione icti hæc sunt, locus inflammatur, indurefcit, tenditur, rubescit, nunc exalescit, nunc friget, dolor acerbis, aliquando remittens se, hæc signa sequuntur, sudores, horrores, tremores, ac extremarum partium frigora: capilli capitis eriguntur, ac icti per totum corpus se acubus pungi videntur. Remedium mali est, necare vel eundem, vel alium scorpionem, ac vulnere imponere aut exurere, cineresque egro bibendos propinare. Hac enim ratione facillè restituitur sanitati ictus Celebratur etiã cinis scorpionis, ad urinæ difficultates & calculum, quem frangere potus putatur. Ita QVI VIVENS LÆDIT MORTE M E D E T V R. Ab hujus natura accepit Symbolum Gonzaga, ac ostendere voluit, sibi stare sententiam, illum interficere velle, à quo læderetur, ut ejus morte, læsionis dolorem ac vindictæ cupiditatem minueret & tolleret. Generosum propositum, sed non adeò pium: Bonum enim Christianum decet, injurias illatas perferre, numini que solo vindictam relinquere. Nisi fortè Mystra admonere voluerit hac Hierographia eos, quos læsit, ne sese ulciscerentur: tandem enim morte, vel sua, vel illorum, læsionis dolorem periturum: hæc si mens mystæ sit, laude dignus est.

## IL MIO SPERAR, id est: SPES MEA.

Speramus sæpe alta & magna, quæ difficulter vel nunquam assequi possumus: Tale quid istum Ducem sperasse, pinus excelsa præ cæteris arbor, denotat: sive virginis aut mulieris cuiuspiam mutuum amorem, sive



sive aliud quippiam sperarit, parum interest. Sed conjugalem amorem & castum sperasse Petrarchæ versus ex quibus Hierographia desumpta est, ostendunt. Ait enim Italicè:

*Allor, che fulminato e morte giacque*

*Il mio sperar, che troppo alto montava.*

Quia verò propter Amasiæ dignitatem, majestatemque aut aliam causam, spe sua excidit: fulmen, Pinum sagitta triplici tangente, urente, ac secante deicientem Hieroglypto exhibet, significans: ut pinus fracta à fulgure est, ita etiam spem omnem intercisam, ac numinis voluntate in cuius manu omnia nostra sunt, ablatam ac extinctam.

## PVR CHE NE GODAN GLI OCCHI,

ARDEN LE PIVME,

id est:

## MODO FRUANTUR OCULI,

ARDEANT PLUMÆ.

Amantes quia non semper habent occasionem, qua commodè amasijs suis amoris vehementiam significare possint, Mytographias invenerunt, quib<sup>9</sup> paucis figuris eleganter & artificiosè, ea quæ vix multis verbis effari, & dici possunt, ostendunt. Vti hac elegantissima Hierographia perspicitur, & Symbolo (MODO FRUANTVR OCULI, ARDEANT PLVMAE) intelligitur. Ad amores enim si accommodetur Hieroglypton; aquila, amantis amimum excelsa petere: atque Solem, id est Amasiam intueri, cujus conspectu delectatur & pascitur, significat, Nam Symbolum aquilam, (id est, amantem:) plumarum exustionem, (id est quævis pericula,) modo illa frui possit, contemnere indicat. Ad virtutes verò, si aptare Hierographiam placuerit, eleganter, ac aptè id fiet. Iuvenis enim & generosus fuit iste Princeps, cum Hierographiam hanc erigeret, ac amans gloriæ, quæ ex studijs, ac ijs quæ Principi conveniunt, comparatur. Hunc itaque amorem, quo se nihil mali vereri, ne mortem quidem, modò mentis, oculis, scientiarum, ac artium lucem Apollinem, ac gloriæ splendorem intueri, eoque frui possit, demonstrare voluit. Potest & Theologicè, sanctè & piè Hæc Hierographia exponi: nempe mentem hominis neglectis omnibus terrenis, corporisque delicijs, aquilæ instar jugiter, non nisi cœlestia, ac quæ Dei sunt, contemplari, ac ita ejus amore teneri, ut omnia contemnat, deferat, & valetudinis jacturam potius faciat, quàm interno & assiduo illius conspectu careat.

## SIC QUIESCO,

Phoca seu vitulus marinus, amphibium animal, ac pilosum, dum dormit tauri mugitum emulatur, Catulos pecorum instar lactat, ac à duodecima die in mare defert; dicitur humanas voces intelligere, ac vocatus se sistere. Alæ ipsius, capiti suppositæ, somnum provocant: oculi colores mutant, ut hyemæ. Hoc præcipuum habet quod à fulmine nunquam tangatur.

tangatur.

tangatur. Ob id Augustus Cæsar cingulo ex ipsius corio, ut pelle cinctus esse solebat. Dum mare aut cœlum turbatur, scopulo innixus, tum cœli, tum maris procellas negligens, profundo somno dormitat, neque facile expergiscitur. Ab hac ipsius natura Hierographia hæc desumpta videtur: Qua Mysta, ut vitulus marinus à fulminis ictu tactus, ac à maris procellis illæsus benè quiescit. Ita se à fortunæ aut inimicorum minis vexatum, propter conscientiæ securitatem, animique magnitudinem, non perturbari, sed composito quietoque esse animo, demonstrare voluit. Hoc sensu elegans profectò est hæc Hierographia. Nihil enim homini foelicius hac in vita esse potest, quàm ut ab adversis non facile perturbetur, animumve deijci patiatur, sed firmum ac quietum semper habeat.

### COSI VIVO, id est: SIC VIVO.

Vt animalia, arbores, plantæ, ac cætera omnia Solis beneficio vivunt, qui tanquam parens rerum omnium, & proximum divinæ virtutis instrumentum, cuncta animalia, & stirpes generat, auget, nutrit, fovet ac Conservat: Ita Sigismundus iste Gonzaga hac Hierographia se Amasiæ suæ, tanquam Solis conspectu, ac familiaritate solummodò vivere posse, significare voluit. Ea enim vis est amoris, ut amans rem amatam tam diu aspicere, donec ea potiatur, desideret. Ac vitâ nullâ extra illius complexû, aut conspectum jucundû putet: propterea quod amantes, re amata jungi cupiant: Cujus causam expressit Cato Major, amantis videlicet animû in alieno corpore vivere, ac animâ illic potiùs esse ubi amat, quàm ubi animat: corpusq; ob id iterû sibi animam a matè corpori connexam, amando reposcere. Difficulus enim absq; anima corpus vera vita vivere potest, quia vegetatur tantùm, ac SIC ut plantæ Solis radijs illustratæ vivunt, VIVIT. Potest in hac Hierographia Sol, æternum Solem designare, cujus amore author se solum vivere, designare voluit. Proindè mundanas pompas, corporis delicias, divitiâsq; contemnere, ac tantum vacare, operamq; dare puritati spiritus & contemplationi amorisq; Creatoris, exemplo patrum anachoritarum, qui carne & mundo mortui, soli Deo vivebant. Sanctum profectò & pium tale est propositum. Gloriam & honores quæ virtutibus comparantur, si quis velit Sole designari non aberrabit. Laudandi enim sunt Principes qui hujusmodi sibi scopos proponunt, ac virtute potiùs quàm vitijs vivere volunt.



Alexander Gonzaga S. Rom. Imp.  
Princ. eps. Pincerna Rodulphibny

Franciscus Gonzaga S. Rom. Imp. Prin.  
cops. March. Castilom. Dns. Castri gyre di



Alphonsus Carrethus Marchio Finarij Saona et  
Clauoanq Vicarius ppetuus Rom. Impe.



Joannes Carrethus Marchio Finarij etc  
Vicarius ppetuus S. R. Imperij :

Alexander Carrethus S. R. Imp. Princ.  
Marchio Finarij Saonaq Clauoana.



## CROCODILI LACHRYMÆ.

Crocodylum habet Nilus quadrupes malum & terra pariter ac flumine infestum; Superiorem maxillam habet mobilem, ac prætinatim stipante se dentium serie; morfu terribile est; magnitudine excedit plerunque duodeviginti cubitos. Parit ova quanta anseres, nec aliud animal ex minori origine in majorem excrescit magnitudinem. Vnguibus armatus est contra omnes ictus cute invicta. Die in terra agit, noctu in aqua, teporis utrumque ratione. Cibo satur piscium, os aperit, ut à trochilo avium regulo dentes & gingivæ expurgentur, Qui os subiens, scabendi dulcedine in somnum crocodylum provocat, quem somno pressum conspicatus ichneumon, per patentès fauces, ut telum aliquod immissus, erodit alvum, ac crocodylum interficit. Dum homines non procul à littore animadvertit, vagitum, ac ploratum pueri emulatur; ac incautos, auxilium ferre ejulanti volentes, rapit, devoratque: Hinc natum adagium, Crocodyli lachryme, in fictos amicos, qui amicitiam simulant, ut noceant. Ab hac crocodyli natura verisimile est Principem istum sumpsisse hanc Hierographiam ac demonstrare velle: Se fictis amicis neque fidere, neque credere velle. Fide, inquit ille, sed cui vide Sapiens & prudens vir cum fidus sit & fidelis, nemini facile fidit. Qui facile fidit, facile decipitur, ac hostibus occultis se ipsum prodit.

## VIRTUTI TROPHÆA NOVA NON

DEGENER ADDAM.

A Paulo Iovio fuit hæc Hierographia primò inventa, Domino Andreae filio Ferdinandi Gonzagæ: Is enim cum in flore ætatis egregiam ad virtutes natam indolem ostenderet, ac optimam de se unicuique spem faceret, & propterea turmæ equitum præfectus esset: rogavit Iovium, ut Hierographiam aliquam vexillo militari inscribendam illi quæret: qui Parmam aut scutum rotundum illi invenit, in cuius medio Virtus, laurea corona coronata cernitur. Cingitur parma fimbria, cui insunt quatuor circuli, singulis quadrantibus respondentes. In primo tiggillum auro plenum, ac igni expositum, cum Symbolo probasti me Domine, continetur, qua Hierographia, Franciscus avus istius paternus interdum usus fuit. In secundo circulo Olympus cum altari fidei est, eaque fuit Ferdinandi Ducis patris istius Hierographia. In tertio avi materni, Andreae Capuani Ducis Thermolensis Hierographia exhibetur, ea fasciculo ex pilis constabat, adjecto Symbolo, fortibus non deerunt. In quarto vero circulo Patris sui Symbolum: (Nec spe, nec metu) est. Circa parmæ extremitates in orbem Symbolum additur: VIRTUTI TROPHÆA NOVA NON DEGENER ADDAM. Quo Symbolo manifestè indicare & ille & hic Princeps, qui eandem majorum suorum Hierographiam sumpsit, cupit; etiam se majorum virtutes æmulari non solum, sed etiam superare, imò nova trophæa majorum victorijs, suo labore, virtute & industria addere velle.

UTROQUE

## UTROQUE CLARESCERE PUL- CHRUM.

In hac Hierographia gladius bellum significat, oleæ ramulus, qui ensẽ circumvolvit, pacem. Olea Minervæ sacra erat, neque accendebatur in sacris, ac prima in certamine Minervæ ac Neptuni edita fuit. Sine istius ramis non mittebantur Romanorum legati pacis obtinendæ gratiâ. Fuit etiam in sacris literis signum reconciliationis & fœderis, dum columba ejus ramulos ad archam Noë tulit. Apud Athenienses victores oleæ ramis olim coronabantur; sed postmodum potiùs pacis, quàm victoriæ signum fuit. Symbolum habet, **UTROQUE CLARESCERE PULCHRUM**: videlicet, pace & bello. Verè profectò: decet enim Principem in utroque esse versatum, atque utrumque statum tueri, ut clarus fiat. Clarefcit pace Princeps, cùm bonas condit leges, justiciam sine delectu personarum administrat, ac æquitati & commodo reipublicæ, potiùs quàm proprio studet, eaque tempestivè curat, quæ belli tempore necessaria sunt: Tempore enim pacis cogitandum est de bello multi profectò Principes & respub. in hoc peccant, quòd ea, quæ tempore belli requiruntur, differant, donec illud præ foribus sit. Quo tempore multitudine negotiorum obruti, nihil rectè peragere possunt. Tempore pacis muniendæ arces, arma præparanda, pecunia colligenda, & militum delectus habendus, ut urgente necessitate in promptu haberi & esse omnia possint. Qui hæc negligit de statu se periclitari sciat, hostibusque prædæ esse. Bello clarefcit Princeps, cùm id prudenter delectis ac expertis militibus, & ducibus; non æmulis, non avaris, neque pertinacibus gerit. Sed ijs, qui rationem, consiliaque sequuntur, ac nihil non præmeditatum aggrediuntur, & in rebus gerendis audaces, alacres, prompti, ac circumspecti sunt, minimaq; quæque suspecta habent, ac ita se muniunt, ut nullis dolis, aut fraudibus inimicorum circumveniri possint. Hanc prudentiã, cùm bellum geritur, victoria sequitur, ac Princeps illustris redditur. Pulchrum itaque esse rectè hic Princeps statuit, bello & pace clarefcere.

## POTIUS MORI QVAM ABSTI- NERE.

Vespertilio avicula muris instar, sola inter volucres dentes, sola mammas habet, sola animal parit, & lacte nutrit, solaque pennis & plumis caret, telam habens pro alis: diei ac Solis lucem ferre non potest, ob visus debilitatem. Lucem tamen aut facem si nocte viderit, non abstinet, quin eam volando sectetur, ac attingat, etiamsi se exurat. Ab hac ejus natura Hieroglypton desumptum videtur: in quo Sol, lucis omnis parens conspicitur, ac Vespertilio sub ipso volitans, ejusq; lucem appetens, Vespertilione Princeps se, ac Sole fortassis amasiam suam intelligit: cujus forma ac venustate fruitur, ac ita delectatur, ut potiùs mori, quàm abstinere ejus conspectu, & consuetudine velit: Cupiunt enim potiùs decies mori amantes, (ut Horatius in Odis canit) quàm re amata carere. Potest etiam ita interpretari hæc Hierographia: ut propositum Principis fuerit

L

NON

non amplius latere, sed illustrem aliquam gloriam virtute consequi, aut mori, velle: Magni enim viri gloriam vitæ periculo emere solent. Quamobrem ait Symbolo: *se POTIVS MORI, QVAM ABSTINERE* à gloriæ, ac honoris desiderio, cupere.

### AD MELIORA.

Vt equus, omneque ferè animantis genus, dum herbis pascitur, ac pabulatur, ulterius semper progreditur, ac meliores herbas quærit: Ita generosus animus præsentis fortuna, aut bonis, quæ ad manum sunt, contentus esse non debet; Sed perpetuò AD MELIORA tendere; donec tandem ad id perveniat, quo melius haberi nihil possit, numen videlicet: Ad hoc enim sapientis est sua dirigere. Id si quis obtineat, satiatur, neque alio amplius indiget pabulo. Ad hoc respexisse Principem non est dubium: nam in mundanis rebus satietas nulla, neque finis desiderij est: Omnes tamen actiones humanæ, propter finem aliquem, qui appetitur, instituuntur. Gloria, honor, divitiæ & similia appetuntur quidem, sed non propter se, sed propter alium finem: Non quiescit enim in illis humanus animus. Finis hæc à philosophis felicitas appellatur, quam quia perfectam nemo in hac vita habere potest, sequitur æternam esse, cujus gratia homo ipse creatus fuit. Hæc meta Mystæ, ac Christiani hominis esse debet: Quæ currenti ac petenti tanquam rerum omnium optimum dabitur.

### VI ET RELIGIONE.

Poëtæ, ac authores qui Herculis historiam narrant, etiam Hydræ describunt: Dicitur enim in Lerneæ palude vixisse serpens multorum capitum illius naturæ, ut si unum caput abscinderetur, ejus loco complura alia enascerentur, quòd cum Hercules rescivisset, eo profectum fuisset, ac ferro & igne oppugnata belua eam tandem trucidasse, ac interemisse. Hac belua, seu Hydra verisimile est, authorem significare populum velle, qui à multis multorum capitum belua dicitur: Id enim satis explicare Symbolum videtur: Nam nulla re melius quàm vi & religione regitur populus. Vi mali, ac Deorum contemptores, religione, boni in officio retinentur. Quæ ubi semel animos hominum occupaverit, probitatis & virtutis fit fundamentum, ac vita ipsa difficilius auferri & deleri potest. Principes itaque necessario religionem in regno servari curent: Hæc enim si nutet & vacillet, neque floreat, jam bonis exitium imminere, ac status ruinam præ foribus esse non dubitent: Virtus enim & probitas, solæ sunt, quæ statum conservant, & hæ religionis soboles. Vi & armis etsi mali cohiberi possint interdum, ac urendo & secando, ut Hercules Hydram superavit, compefci; id tamen cum summo sit periculo; quòd uno ablato capite, plura nonnunquam hydræ instar renascantur. Rectè itaque utrumque modum, ut populi furorem & impetum domet, *VIM ET RELIGIONEM,*  
iste Dux sibi servanda  
proposuit.



PRINCIPES DVCES ET MARCHIONES ITALIÆ.

Alfonſus II. Carreſtus S. Rom. Imp. Princeps et Vicarius perpetuus Marchio  
Savonæ Claufenæ et Finarij. Com. clãſitij. Dñs. Calizani Vallis  
Charcherarij Stellavallè etc



Sfortia Andreas Carreſtus. S. Rom.  
Imp. Princeps et Vicar. March. Finarij ultimus.

Marcus Antonius Carreſtus Princeps Meſſi.  
Clãſis maritimæ præfectus Reg. Hiſp.



Marcus Antonius Carreſtus Princ. Meſſi.  
Clãſis maritimæ præfectus Reg. Hiſp.

Victoria Doria Principiſſa  
Meſſi. M. Antonij uxor.



## PROBANTUR FORTES IMPETU.

Cuivis notum est, viros fortes non cognosci, nisi dum impetuntur, aut probantur: ut nec prudentes, nisi aliquando periculis objecti, illa vitarent. Virtus enim quævis objectum quoddam habet, circa quod versatur, & cujus ratione virtus est. Fortitudo contraria, & adversa quævis pro objecto habet. Hæc si quis ferre, vel remove possit, fortis est, & dicitur. Dum cum adversis luctatur, ac illorum impetus sustinet, illisque se opponit, probari dicitur: Si vel agendo superet, vel patiendo non frangatur ipsius animus, fortis viri nomen meretur. Alphonfus iste Marchio Finariæ, quia ab Hispanis obsessus in arce quadam, illorum vim sustinuit, præfens Hieroglypton, in quo arx in rupe ædificata, & à ventis, mariq; impetita cernitur, descripsit: Vt enim arx rupi superædificata, firmissimum fundamentum habere creditur, ac à marinis fluctibus, aquarumque inundationibus, ventorumque procellis oppugnata & impetita; omnem illorum injuriam absque noxa perfert, recteque probata dici, ac firma haberi debet: Ita etiam iste Dux, qui hostium & fortunæ conatus pertulit ac superavit, recte se probatum, & proinde fortem esse, gloriari hac Hierographia potest: Probantur enim fortes impetu.

## NEC ICTU, NEC IGNE.

Constantiæ & fortitudinis exemplum hinc exhibetur, adamante gemma, in jugo monticuli constituta, quæ mallei quemvis ictum sustinere putatur, sed falso experienti. Valeat tamen fabula pro Symbolo, quia vulgo ita creditur: Igne tamen non frangi, aut defœdari, certissimum est. In jugo montis constituitur, ut omnium oculis authoris constantia, & fortitudo exponatur. Constantiæ ac fortitudinis profectò est, ictum & ignem ferre, hoc est, quosvis fortunæ impetus. Est enim fortitudo, desinente Cicerone, scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo, & perferendo summæ legi parens, sine timore: Vir enim fortis, ne supplicij quidem movetur, ac ea quæ eximia plerisque, & præclara videntur, parva ducit, rationeque stabili, firmaque contemnit, eaque quæ videntur acerba, ita fert, ut nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis, robustum magnæque constantiæ animum præ se ferens, & ostendens. Hujusmodi constantiæ & fortitudinis propositum hic Princeps contra fortunæ injurias, & hostes à quibus quotidie oppugnatus fuit, hac Hierographia ostendere voluit.

## VIRTUTEM EXTENDERE

### FACTIS.

Manus dextri brachij armati gladium flammis ignito mucrone continere conspicitur, adjecta gnome; VIRTUTEM EXTENDERE FACTIS, Virtutem bellicam hinc intelligere Myrtam non solum brachij armatura, sed & gladius ipse notat. Stat itaque illi sententia, se huic virtuti operam dare velle, quæ rebus bellicis comparatur, ac non voluntate solummodo eam, sed factis extendere velle. vehementia desiderij



desiderij flammeo illo mucrone designatur. Ignis siquidem & flamma ut ardorem habent, ita animi & cupiditatis ardorem rectè notare possunt. Romani etiam dum cum hoste congressuri essent ut pugnae ardens desiderium ostenderent, gladios in scuta verberabant concussioneque fragorem ingentem, ac motu gladij micantes fulgores, ignis instar in hostes jacere videbantur. Non male itaque Symbolum Hieroglypto convenit. Cum virtus bellica non nisi gladio ignito, hoc est vi, ac animi ardore, diligentiaque obtineatur.

## SOLATUR CONSCIENTIA ET

### FINIS.

Leo hoc loco caudam elevatam habens, ac diademate ornatus, animum Principis notat. Hoc enim proprium leoni, ut cum maximè animosus est caudam sursum erigat. Animum itaque generosum Principis SOLATUR CONSCIENTIA ET FINIS ut Symbolum declarat. Conscientia rectè voluntatis, maxima consolatio est rerum incommodarum, ac bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, jucundissima est. Solatur nos conscientia bona propter finem. Si enim nullius mali aut peccati nobis conscij simus, non solum securè & jucundè vivimus, sed æternam gloriam finem ultimum, qui ab homine desiderari possit, nos consecuturos scimus. Si bonam conscientiam non habeamus, angimur, tristamur, ac conscientia stimulis ita agitatur, ut nihil nobis lætum, jucundum & gratum sit. Nulla enim poena gravior mala conscientia; quæ audacissimum, timidissimum: jucundissimum, tristissimum facit, esse videtur. Ejus vim apprimè explicat Juvenalis:

*cur tamen hos tu*

*Evasisse putes quos dixi? conscia facti  
Mens habet attonitos, & surdo verberare cædit  
Occultum quatiente animo tortore flagellum  
Pœna autem vehemens, ac nullo senior illis  
Quas & Seditius gravis invenit ac Rhadamantus  
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Plautus in Mustellaria ait: Nihil est miserius quàm animus hominis conscius. Finis etiam hunc Principem solatur, nempe vita æterna, quia omnes ærumnas, calamitates, mortisque angustias obliterat, ac extinguit, sua dulcedine. Hæc si non speraretur, bestiis homo longè miserior esset, quod negotijs, studijs, paupertate, servitute, mortisque timore angatur: bestia verò horum omnium ignara, securè ac liberè vivat. Verè itaque SOLATUR CONSCIENTIA ET FINIS.

## ERIT ALTERA MERCES.

Hæc præfecti classis maritimæ Regis Hispaniarum Hierographia, elegans est, quod verum generosi, & boni præfecti officium indicet. Palmæ enim ramus victoriam, & Cupressi, mortem significat. Quæ duo, fi-

us belli Dux sibi proponere debet, vincere vel mori. Palmam victori-  
am significare nemini dubium, & sæpius expositum est. Cupressum verò  
mortem, non ita constat: Cupressus arbor est procera, rectaque ramos in  
summitate tantùm habens; folijs virens perpetuis; conos gerit lariceis  
æmulos, solidiores tamen compactioresque; resinam fundit liquidam, o-  
dore non ingrato, rami suavissimi sunt odoris: quamobrem olim rogus  
ex ijs struebatur; ut nempe odoris suavitas foetorem cadaveris velaret, &  
tegeret. Ab hoc ipsius usu, in Hieroglypto, rogum, aut mortem notat,  
Rectè itaque sculptura fortissimi viri gnomen explicat. Ducis enim stre-  
nui & fortis officium est, omnium rerum terribilissimum mortem, non  
metuere, & vel victoriam, vel occubitus sibi proponere. Non potest  
enim militi, & Duci mors majori gloria contingere, quàm si fideliter suo  
fungendo muneri, occumbat. Turpe videtur militiæ deditum extra mi-  
litiæ mori, & mercede altera, quæ victoria vel mors est, ut Symbolum  
ait, carere.

### VIDET ET VOLAT.

Cernitur hinc orbis figura cum Zodaico, cui Sol circa polos ascultus  
est: in orbe volitat aquila, à sinistris linceum apparet caput, à dextris  
aquilæ ala, & circa alterum polum cauda aquilæ apparet, Septus est etiam  
orbis corona laurea, Solem videre & lustrare omnia, volare, ac omni vo-  
latui velociorem habere motum: aquilam Solem videre & intueri conti-  
nuo absque visus jactura posse, ac volatu superare alias aves, cuius no-  
tum est. Linceos oculos acutè cernere dubium nemini, hinc enim fabel-  
la, illorum aciem muros penetrare. Sed ad quid tam multa in Hiero-  
glypto? Existimo profectò Principissam istam Sole maritum suum,  
ejusque intuitu & consortio in hoc orbe nihil illi esse posse gratius,  
designare velle, Vt enim aquila Solem semper intuetur, ac in altum vo-  
latu, ejus consortium quærere videtur; ita etiam proba uxor, Solem suum,  
id est, maritum semper præ oculis habere, ac sequi debet. Corona enim  
mulieris, vir est. Viceversa, ut dum aquila Solem intuetur, ac ad illum  
tendere videtur, Sol in aquilam visum seu radios dirigit, eamque fovet, ac  
ad se tepore allicit; ita vir fidam uxorem omni beneficij, & huma-  
nitatis genere tractare, ac in sui amorem trahere debet: Hac enim ratio-  
ne fœlix redditur conjugium. Ostenditur itaque hac Hierographia  
Vxoris erga virum, & Viri erga uxorem officium; qui  
non minùs illius, quàm illa ipsius, cu-  
ram habere debet.

\*\*\*

DUCES ET PRINCIPES TOTIVS ITALIAE

Joannes Iordani Ursinus Dux Tagliacozze  
Marchio Mortare

Paulus Iordani Ursinus Romanus Dux  
Brachianum Vice Rex Siciliae



Virgilius Ursinus Pauli Iordani F.  
Dux Brachianum.

Virgilius Ursinus Dux Celsi, Dux  
Maritimae.



Ludovicus Ursinus Dux Celsi Dominus  
Matrice fil. Virgini.

Camillus Ursinus Princeps Nole et  
Pitigliani General. Prefec. Venet. Reip.



## MELIORA QVÆRO.

Neminem latet bovem dum pascitur progrediendo paulatim ulterius, meliores semper herbas pabuli gratia quærere ac eligere & nunquam una statione contentum esse nisi satur sit. Ab hoc ipsius pabulandi modo, sumpsit hanc Hierographiam Princeps: qua ostendere vult se indies MELIORA QVÆRERE. Verùm quod quærat non corporis nutrimentum, & satietas est: sed animæ, quæ virtutibus tamdiu pascitur, perfectiores, & meliores semper quærens, donec saturetur, ac summum illud bonum, verùm omnis appetentiæ finem, ac scopum consequatur. Hoc enim obtento, saturatur anima, neque meliora amplius optare, aut habere, potest. Si meliora ista quæ se quærere Symbolo Princeps dicit, honores & gloriam quis intelligere velit; non malè Hierographiam exponet. Solent enim Principes, ac viri magni, rarò præsentī fortuna esse contenti, semper enim ad summa quædam, ac ut cæteros gloria, honore, & potentia superent, contendunt. Cùm hac ratione se illustres & fœlices, quod multis benefacere possint, & à multis venerentur, & colantur, esse arbitrantur.

## PATIENTIA IN ADVERDIS.

Scipsum consolatur hic Princeps, dum à filio carceri inclusus detineretur. Consolationis testem voluit esse hanc Hierographiam, cujus Hieroglypton compedes & vincula quibus ligatus fuit, adjuncta securi, ostendunt. Securi proculdubio significare voluit se ad mortem paratum esse, neque eam metuere. Magna hæc Principis fortitudo, & patientia in adversis. Durum fuit à filio tanta pericula, tantasque injurias ferre. Verùm hæc omnia constans, & fortis illius animus contempsit, & pertulit: donec iterum pristinæ libertati restitueretur. Simile fortitudinis specimen nobis exhibuit Annitius Boëtius consul Romanus, ab Imperatore vinculis & carcere inclusus: quod Arrij de Trinitate sententiam sequi nollet. Hic cum primò dignitate summa ablata, carceri mancipatus esset, satis molli animo fuit, postea tamen cum se recolligeret, ita se firmavit, ut magnum constantiæ, & patientiæ posteris, non solum exemplum, sed solatij genus ediderit. Conscripsit enim in carcere libellum de consolatione philosophiæ, Quo certè libello nullus, illi, qui adversis premittur, utilior, majorique solatio esse potest. In eo vita nostra theatri instar esse, & quæcunque magna videntur, ad tempus tantum, & incertum durare, vanitatiq̃ue plena esse omnia, & tandem relinquenda, aliamque personam (ut in Comædijs) finito actu esse subeundam, longè à priori diversam ostenditur: Summum illud bonum, verum gaudium, immensas delicias, æternamque beatitudinem, qua majus nihil esse potest, tantum post mortem, non hîc in vita dari. Proinde adversa omnia & mortem ipsam jucundo, & læto animo, tanquam futuræ beatitudinis initia, esse ferenda.

## RERUM VICISSITUDO.

Non solum illi Heroës, & Principes laudendi sunt, qui sibi, egregia &

gia & magna proponunt, eaque Symbolis indicant. Verùm etiam qui seipfos gnome aliqua admonent, ac præ oculis varios rerum humanarum casus, rerumque vicissitudines constituunt: ut hac ratione memores sui sint, neque superbiant, neque sese præter modum extollant: Sæpe enim qui reges & Principes fuerunt, privati & servi fiunt. Sic Cyrus Persarum rex ab Alexandro magno, & Baiazetes Turca à Tamerlano, ac Mythridates à Romanis capti fuerunt; sæpe etiam ditissimi, pauperrimi evadunt; foelicissimi, miserrimi; ita ut verum sit quòd à Græco Comico dicitur: *βίβλαρον ὄνδρον ἢ βίω δολεῖ πείλαρον*, id est: stabile videtur habere nostra vita nihil, omniumque rerum vicissitudo est. Vt enim in rota aquaria, quam Hieroglypton exhibet; amphoræ, aut vascula quæ plena fuerunt, mox aqua vacua redduntur, ac quæ in summitate rotæ fuerunt, brevi ad ima perveniunt: ita etiam cuilibet, ut nunc à fortuna elevetur, nunc deprimatur, nunc ditetur, nunc spoliatur, contingit. Vidit exemplum fortunæ iste Princeps in parente, qui cum summo loco diu fuisset, tandem carceris miseria experiri, & rerum vicissitudinem pati, coactus fuit.

### RESPICE FINEM.

Imperia omnia, (quæ corona indicantur) licet magnis laboribus multoque sanguine sint conquesta, ut Romanorum, ac Alexandri Magni Monarchia, nunquam tamen perpetua sunt, aut tanta, ut per totum orbem se extendant: Plerumque enim uti crescunt, ita vicissim decrescunt, ac pereunt. Vi sæpe conquiruntur, ac conservantur; vi iterum aut seditione, dum justiciæ aut æquitati locus nullus datur, ruunt. Quicumque itaque Principes ambitione capiuntur, & perpetuò augere imperia, vel regna sua, dolo, vel vi volunt, hinc admonentur, ut **RESPICIANT FINEM**, ac intelligant, se etiamsi totum orbem occuparint; nihil præter inanem quandam dominij ideam, absque corporis vel animi fructu, tantoque emptam sanguine, brevi que interituram habere: Vbi enim Romanorum Imperium tot gentium sanguine partum? Vbi Alexandri, tot regum copijs deletis? ad pristinum statum iterum redijt, ac ex uno denuo diversa imperia facta sunt: ita ut frustra tantum sanguinis in gratiam unius ambitiosi, ac regere volentis Principis effusum fuerit. Rectè itaque admonentur Principes Symbolo, ut in hoc mundi Theatro **RESPICIANT FINEM**, quod nullum imperium stabile & perpetuum sit, ac proinde illorum labores inutiles esse generique humano nocivos, dum propter ambitionem, regnandi que cupiditatem multum sanguinis humani frustra effundi debet. Frenent itaque hoc imperandi desiderium, ac humano sanguini parcant, mortem, & imperij, totiusque mundanæ machinæ, nunquam duraturæ respiciant finem. Id si fecerint, non curis se solum magnis, sed etiam periculis multis levabunt, ac ut coronam cælestem habere possint, se magis idoneos facient.

### CONTRARIA JUVANT.

Ignis ardens, à vento plerumque augetur, & ardentior redditur, etsi ventus contrarius quodammodo igni videatur: refrigerat enim & ignem exiguum extinguit. Quod autem ignis ardorem ventus juvet, licet

licet ipsi contrarius videatur: hoc propter motum quem in igne velociorem afflatu excitat, contingit. Hac enim ratione fuligo citius pellitur, ac materia citius consumitur: quæ omnia spiritum ignis subtiliorem reddunt, ignisque vehementiam augent. Mystra hac Hierographia intelligi vult: Neminem rebus contrarijs, vel adversis facile perturbari debere; Vtpote quæ etsi sæpe multum obesse videntur, sæpe tamen juvent, hominemque prudentiorem efficiant: non solum ut majora damna, & pericula evitare possit, (quia ut inquit poëta) piscator ictus sapiet) sed etiam, ut illata, sibi utilia, ac perferendo dulcia faciat: gaudet enim patientia duris. Quin etiam ad hoc interdum adversa valent, ut hominis virtutem propalent, ac ipsius constantia, & fortitudo conspicua fiat. Quòd, dum fit, rectè juvari contrarijs dicere possumus; consequitur enim gloriam, honorem, & laudem, propter virtutem, quibus vix aliud homini majus contingere potest.

### NIL MOROR IGNAVOS.

Mulier hæc alata, diligentiam significat, ignaviae contrariam, hæc Symbolo ait: NIL MOROR IGNAVOS. Diligentia virtus est principi non solum conveniens, sed utilis tum domi tum militiæ. Domi, ut justitia benè administratur, pauperes non opprimantur à potentioribus, ac potentes à plebe, fontes plestantur, seditiones quæ pullulant, statim capitibus punitis deprimantur, ac omnia, quæ ad reipub. conservationem spectant, accuratè præscribantur, & servantur. Militiæ, ut maturè arma, comeatus, milites, & confinium munitiones procurentur. Sic enim ignavia reip. statum perdit, ita diligentia erigit, victoriæque causa est: Nulla enim in re utilitas diligentiae citius quàm in bello conspicitur. Id testatur C. Neronis contra Asdrubalem exemplum: Cùm enim potentissimo Asdrubal exercitu in Italiam venisset, ac illi obijceretur Livius consul, numero militum impar: C. Nero relictis castris milite exhaustis, prope Annibalis castra, magnis itineribus nocte dieque, magnaque militum diligentia & labore, qui vix quòd satis ad naturale desiderium corporum esset quieti dabant, tandem ad castra Livij prope Senam, noctu tessera accepta, inscio Asdrubale, & Hannibale pervenit, sequenti que die pugna commissa, quod Asdrubal geminatum exercitum ignoraret, ac errore pauciores hostes putaret, victus est. Qui error Livio teste, si pugna protrahata, tum ab Annibale, tum ab Asdrubale detectus fuisset, victoriam Romanis abstulisset. Tantum potest in re militari diligentia.



DUCES PRINCIP. ET MARCHIONES ITALIAE

Nicolaus Ursinus Nole, et Pitagami Princeps, Generalis Prefectus Senensis, Florentini populi  
 Xysti Innocentij Alexandri VI. Pont. Max. Ferdin. Alphonsi II. Neapoli Regi, demum  
 Venetorum Reipub.



Fabius Columna Dux Paliani, Marchio  
 Tagliacozæ General. S.R. Eccles.

Prosper Columna Dux Paliani et  
 Tagliacozæ Gener. Suprè. Car. V. Imp. Ital.



Pyrus Columna Marchio Mortaræ  
 Tribunus militum Caroli V. Imper.

Pompeus Columna Dux Paliani et  
 Tagliacozæ



## SAUCIAT ET DEFENDIT.

Millus hîc exhibetur, qui ferreis clavibus extrorsum acumine prominentibus colla canum, non solum defendit, ut gnome asserit, verum etiam invadentes alios canes sauciat. Qua Hierographia ostendere hic Princeps vult: se contra omnes suos hostes, & inimicos ita benè munitum esse, ut si opus fuerit etiam eos offendere defensionis legitimæ causa possit. Idque rectè, non potest enim Princeps bello lacepsitus se benè defendere; nisi data occasione oppugnet hostem, illique rationes nocendi præscindat, & auferat: Qui enim tantum defensionis studet, solumque defensivum, ut aiunt, bellum gerit, multis incommodis se afficit, suosque prædæ inimicis obijcit, nullamque victoriam habere potest aliam, quam ut hostis lacepsere desinat, & quiescat. Qui offendere studet, non solum se defendit, suosque, sed victoriam insignem superato hoste habere potest. Vt itaque canis millo & scutum & telum habet: ita & hic Princeps armis suis se tuctur & hostem oppugnat.

## VIGILIIS ET MODERATIONE.

Vigilias noctua significat, propterea quòd noctu vigilet; cum enim dies est, in truncis arborum, aut speluncis latitat. Frenum moderationem notat, eo siquidem equi moderantur, hominiquè obsequiosi redduntur. Vtrunq; certanti necessarium est, sive spirituale certamen, sive mundanum suscipiatur. In spirituali certamine, vigilijs impeditur Sathan, aut diabolus, ne incautum obruat, & priusquam ad defensionem paratus sit, necet. Propterea dicit Christus vigilate, & orate; ut non intretis in tentationem. Moderatione verò reguntur animi affectus, ne Sathanæ delitias, & illecebras sequantur, ac equi effrenis instar, hominem perdant. In mundano certamine contra hostem, vel contra fortunam, aliaque adversa, quæ contingere Principi possunt, non minus vigilijs & moderatione opus est, ut status servetur. Vigilijs; ut hostis præcaveri, antequam propius accedat, ac fortunæ insultus prohiberi, antequam præstò sint, seditionesq; in republica impædiri, priusquam capita habeant, possint: Moderatione, ut hostis non tumultuariè, sed sapienter arceatur, ac fortunæ insultus, qui præmanibus sunt, prudenter declinentur, seditionesq; ac seditionum in republica capita, legibus tanquam frenis coërceantur: Hæc enim si Princeps in statu suo servaverit, ac VIGILIIS ET MODERATIONE populum suum rexerit, firmum ac stabile habebit imperium.

## INCULPATA TUTELA.

Grus accipitrem necat, quæ alias ab accipitre rapi, ac interimi vitæ gratiâ solet. Verum non facillè accipiter gruem superare & vincere potest, quia dorsum rostro ita munit grus, ut dum gruem rapere vult accipiter, ventrem in rostrum conijciat, ac seipsum interficiat. Ita in hoc Hieroglypto superatus & interemptus à grue se defendente accipiter cernitur: idque jure: quia vim vi repellere licet, & omnis, quæ pro vita, cum adversarij damno, aut nece, tutela instituitur, inculpata & justa est. Quilibet enim suam vitam, si alterius vitæ præferat, id quod naturæ debet, conservationem



servationem videlicet sui ipsius persolvit. Ac dignior is, (qui non ultrò se in periculum coniecit) vita censendus est, illo qui naturæ opus perdere voluit. Excellens enim & admirandum naturæ opus est humanum corpus, tanto artificio constructum, totque annis educatum: ac is morte dignus, qui id naturæ artificium delere conatur. Princeps itaque dum hostes suos quibuscunque potest modis, se delere velle, ne ab illis deleatur, hac Hierographia ostendit, neque imprudens, neque injustus videtur.

## INGENIO EXPERIOR FUNERA

DIGNA MEO.

Narrat Iovius quod Prosper Columna jam senex amoribus fuerit deditus, (etiãsi Poëta id senibus dedecori esse velit, dum canit:

*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*)

ac scribit, amasse illustrem fœminam, quæ illi mutuam amorem reddebat. Quem cum ille tegere, & honestum haberi vellet; semel secum familiarem quandam, sed humili loco natum nobilem, ut fœminæ pudicos mores videret, adduxisse. Qui fœminæ (ut solent, instabiles & inconstantes esse, ac novis rebus delectari) ita placuit, ut gratiam & copiam sui illi fecerit. Quod, cum summo animi dolore percepisset Prosper, taurum Perilli pro Hieroglypto adjecto Symbolo INGENIO EXPERIOR FUNERA DIGNA MEO, elegit; ut ostenderet se flammis amoris exuri, ac mali sui seipsum causam esse, quòd amasæ suæ alium adduxisset procum: ac eundem errorem commississe, quem Perillus olim commiserat: dum proprii interitus causa esset. Perillus enim Tyranno Phalari invenerat modum quo homines ingenti cruciatu interfici, absque astantium commiseratione possent. Taurum nempe æneum, cui inclusus homo, substrato igne, non eiulantis aut gementis hominis vocem, sed bovis mugitum ederet. Verùm Phalaris miratus artificis ingenium, illum tauro includi iussit, ac ignem substerni; ita miser Perillus mugiens proprio invento, & horribili mortis genere periit.

## NE PER PIOGGIA, NE PER VENTO.

id est:

## NEQVE PLUVIA, NEQVE VENTO.

Turris aut ædificium supra rupem extructum, animum Principis indicat, qui, ut turris neque à vento, neque a pluvia concuti, ac deiici potest, ita nec ille à rebus adversis. Constans enim est ac firmus, ut nullo fortunæ, aut adversitatis telo immutari, aut convelli possit. Quicumque hujusmodi constantiæ propositum sibi proponit Princeps, laude dignus est. Nihil enim Heroi magis conveniens, quàm fortunæ impetus negligere, invictum se præbere, quævis perferre, ac ostendere animum omni fortuna, etiam adversa esse majorem: & fortunam potiùs animo, quam animum fortunæ parere. Id certè martyres complures, qui sanguinem pro Christi fide fuderunt, ac varias calamitates, variaque tormenta pertulerunt, testantur. In ferendis enim tormentis, & torturis, etiam delicatæ virgunculæ tam constantes nonnullæ fuerunt, ut non tormentis affligi, sed

M

delicijs

delicijs frui, ac stupentibus tyrannis, svaves illis pœnæ viderentur. Quis hic non animadvertit animum infractum, magnum & omnia vincentem: talem se habere hic Princeps hac Hierographia ostendere voluit.

### NIL LINQVERE INAVSUM.

Pompeius Columna duplici Hieroglypro, navicula, homineque volante, ostendit se NIL LINQVERE INAVSUM velle, etiam si vitæ periculum subeundum sit. Magni enim animi est, magna etiam cum periculo tentare, & nihil inausum, aut intentatum relinquere. Sic Icarus tentavit avium volatum æmulari; verum Solis ardore cereis alis liquefactis, in præceps delapsus, interijt. Simili modo navibus Oceanus præternavigatur, & superatur, remotissimæque novi orbis regiones deteguntur, licet non absque multorum jactura, & exitio. Hæc si ab audentibus instituta nō fuisset navigatio, occidentis & orientis divitiæ, adhuc sepultæ, nobisque ignotæ laterent. Americus Vesputius vir magnus, & perpetua memoria dignissim<sup>o</sup>, primus ausus fuit Oceanum præternavigare ac primus extremas incognitasque orbis partes detexit. Istorum duorum, instar omnium exemplo, Pompeius magni sui animi institutum demonstrare voluit: ac nihil tam arduum, tam difficile esse, unde sibi nomen & gloriam comparare possit, quin hoc etiam cum vitæ periculo & dispendio tentare & aggredi audeat. In rebus enim arduis & magnis, fat voluisse satis, ac voluntas laudanda est, etsi optatus effect<sup>o</sup> voluntati non respōdeat. Qui nihil audent & tentant, rarò ad magna perveniunt, ac fortunæ beneficio fruuntur. Audaces fortuna juvat, timidusque repellit, ac nunquam periculum sine periculo vincitur.

\*\*\*

Mutina Columna Marchio Mortaræ  
Generalis et Vexillifer S. Rom. Eccles.

Jeronimus Columna Dux Pallani etc  
Generalis regis Ferdinandi Arragõ



Sarra Columna Dux Palæ et Taglia-  
coza. Generalis Alphonsi Regis Neap.

Stephanus Columna Dux Pallani  
Generalis Alph. iun. reg. Neap. et Arag.



Ascanus Columna Dux Pallani et  
Tagliacozza Marchio Mortaræ.

Joannes Caraffa Dux. Pallani  
Marchio Canç. Com. Mortory. nep. P.P. paul. 4.



## FORTIA FACERE ET PATI

ROMANUM EST.

C. Mutius adolescens nobilis Romanus, cum Porfena Hetrurcorum Rex, Romam obsideret, Senatus Romani consensu, in castra Hetrurcorum se contulit, ac in confertissima turba, prope regium tribunal constitit. Ibi cum stipendium militibus daretur, & scriba cum rege sedens, pari ferè ornatu multa ageret, eumque milites vulgo adirent: timens sciscitari uter Porfena esset, ne ignorando regem, semetipse aperiret quis esset, scribam pro rege obruncat. Eum statim regij satellites comprehensum, ante tribunal regis sistunt. Tum Mutius, Romanus sum inquit civis, C. Mutium vocant, hostis, hostem occidere volui, nec ad mortem minùs animi est, quàm ad cædem fuit, & FACERE ET PATI FORTIA ROMANVM EST. Cum Rex ira incensus, periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus juberet, nisi insidias, illi structas proderet. En tibi inquit, ut sentias quam vile corpus ijs sit, qui magnam gloriam petunt, dextramque manum accenso ad sacrificium foculo inijcit, quam cum velut alienato à sensu torreret animo: attonitus miraculo Rex cum à sede sua profiliisset, amoverique ab altaribus juvenem iussisset. Tu verò abi inquit, in te magis quàm in me hostilia ausus: Iuberem macè virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Tum Mutius quasi remunerans meritum: Quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos, ut beneficio tuleris à me, quod minis nequisti: trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur, mea prima sors fuit, cæteri ut sors ceciderit, quò te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore adderunt. Hujus periculi casus Porfenam moverat, ut ultro Romanis pacis conditiones ferret. Ab hoc C. Mutij factò sumpta est Hierographia: Cernitur enim dextra manus cum gladio igne torreri, ac dictum Mutij, Symbolum est. Mutium Romanum, Mutius Columna sibi imitandum in rebus bellicis proposuit: idque non malè, quòd equitum præfectus, industria & audacia, ad res foeliciter gerendas opus habeat.

## CONTEMNIT TUTA PRO.

CELLAS.

Familia Columnensis in parmis gentilitijs solet pro signo militari habere antiquitus Sirenem. Est autem Siren monstrum marinum superiori parte virginis forma, inferiori piscis. Poëtæ tres fuisse fingunt, ac Acheloi filias. Quæ melodia, cantusque suavitate nautas cum ad se pellexissent; tandem undis obruebant, ac interimebant. Hæ, ut in undis & procellis tanquam in naturali domicilio tutæ vivunt, ac propterea procellas omnes, marisque tempestates contemnunt, ita etiam Princeps iste Sirenis figura, & Symbolo ostendit, se adversa omnia contemnere, ac virtutibus suis ita fidere, ut non dubitet, se illis omnia adversa, & contraria facillè superaturum: virtus enim adversa non timet; quia ex ijs facillè eluctatur. Idque tum maximè verum est, cum quis jam multoties adversa

adversa pertulit, ac ijs ferendis ita obduruit, ut jam quodammodo in naturam & habitum transferint. Tum enim vix sentiuntur, ac proinde negliguntur & contemnuntur, tanquam ea quæ nocere aut affligere amplius non possunt.

## ADIMIT QUÆ INGRATA, REFULGENS.

Vt Luna à nubibus recta, paulatim discussis nubibus iterum refulget: Ita etiam viri illustris, rerumq; benè gestarum gloria clari, fama, si ab inimicorū calumnijs, vel convitijs obscuratur, ac ad aliquod tempus obnubiletur: tandem virtutis insita vi ac tempore, inimicorum, adversariorumque machinationibus depulsis, iterum refulget, ac in pristinum statum restituitur. Id sibi futurum virtuti confidens princeps, qui eo tempore quo hanc Hierographiam edidit, ab adversarijs multa passus fuit, pollicetur. Virtus enim & tempus quantumvis deprimatur ac occultetur fama, eam tandem in lucem protrahunt, & quod verè in se continet, bonum sit vel malum provalant. Ob id rectè veritas temporis filia appellatur, quod nihil latere sinat, sed quævis in lucem proferat. Admonemur itaque hac Hierogiaphia, ne diffamati, aut rebus adversis pressi, desperemus, quòd tempore tandem mala omnia finiantur. Ac Deo Opt. Max. si interdum nos adversis affligat, illa iterum sua bonitate adimat, tandemque radijs benignitatis nobis refulgens, donis innumeris nos ditet, ac malorum passorum memoriam jucundam faciat.

## PARCE PIAS SCELERARE MANUS.

Accipiter hîc depingitur. Accipitrum genera varia, distinctio generum ex aviditate, alij non nisi ex terra rapiunt avem, alij non nisi circa arbores volitantem, alij sedentem in sublimi: alij volantem in aperto. Itaque & columbæ novere ex ijs pericula, visoque confidunt, vel subvolant: contra naturam ejus auxiliantes sibi. Regia est avis accipiter, animosa, robur ejus in pectore, ungvibus & rostro, quo præde carebrum statim transverberat. Sicuratus si prædam impetitam arripere non potest, indignatur, ac vix eo die ad dominum redit. In hac Hierographia accipiter Lusciniam devoratur? rapit illa supplex laudat accipitrem ac pium, qui trux est vocat, admonetque ne pias manus sceleret. Verisimile est, Myrtam admonere velle eos qui potentiorum injurijs expositi sunt, ut dissimulent, bona verba dent, ac supplices temporari cedant, donec ira, & indignatio potentium frangatur, aut extingatur. Lex in aulis Principum; ubi potentes etiam si injurijs, ac injusti sint, respici ac coli volunt, utilissima, imo necessaria. Hanc qui non servat, neque injurias & despectum sui, ferre tantisper, ac magnatibus adulari, vel jocos placere potest, superet eruditione & probitate quemvis, nunquam emerget. Non doctos, non probos, non pios vult aula, sed fictos, qui probitatem in lingua & fronte, ferunt, ac potentibus ad nutum, omniaq; obsequia præstare sunt. Hinc versiculus:

M 3

Qui

*Qui vult esse pius, exeat aula.* Qui itaque in aula manere vult, Lusciniam imitetur, oppressus facile eluctabitur, nihilque ut ad summa perveniat, illi invium erit,

## ME TUIS ORNARI.

Pyramidem aut obeliscum constantiam designare, jam sæpius explicatum est. Ornatur pyramis vinea & corona. Vineæ, quæ fructum suavissimum, hominiquè maximè salutarem profert; ubertatem, rerumque affluentiam designat qua Mysta obelisco notatus, se à domino cui fideliter inservivit, donatum agnoscit & gloriatur. Corona, honorem, gloriam & dignitatem, quàm itidem domini munificentia adeptus est, quæque ornatur significat. Quibus omnibus, ut nihil potest homini in præmium fidelitatis majus tribui, ita etiam nihil decentius, quàm tale beneficium agnoscere, ac si non factis, saltem verbis, testimonijs, & monumentis, se gratum posteris ostendere, quod aptè profectò hac Hierographia Mysta qui se ornari domini sui beneficijs confitetur, declarat.

## OMNES SUB JUGO MEO.

Eleganter Princeps iste Symbolo ait: **OMNES SUB JUGO MEO.** Quis enim dubitat, sub Solis jugo omnia non solùm inferiora, sed etiam superiora esse. Sol enim lucem suam stellis omnibus præbet, radijsque inferiora omnia illuminat, ac calore ita fovet, ut sine illo, neque animalia, neque plantæ vivere, neque mineralia, & metallica formam aliquam consequi possint: Calore enim movet cuncta, & in actum redigit, illo deficiente omnia intereunt, quiescunt, horridamque planè faciem nanciscuntur. Id hyems, illæque mundi plagæ, quæ arctico polo viciniores sunt, ostendunt. Vt itaque sub Solis jugo omnia sunt, ac ab ipso tanquam proximioris numinis instrumento, quod sint, habeant. Ita Mysta indicare voluit, se Solis instar suos simili modo sub jugo habere velle, ac jugum suum non minùs quàm Solis sive fore, eoque vitam, omnemque commodam vivendi rationem habituros: Hujusmodi propositum principes decet. Qui enim jugum, quo exarnificent, expilent, ac abigant subditos proponunt, ac instituunt, non Principes sed Tyranni sunt, digni ut dijs manibus sacrificentur. Bonum itaque jugum hic Princeps Sole, à quo omne bonum manat, demonstrare voluit.



Marcus Antonius Columna Dux Palani et Tagliacozza Eques  
Aurei Velleris Vice Rex Sicil.



Felice Ursina Columna Ducissa  
Palani et Tagliacozza M. Ant. uxor.

M. Antonius Columna iunior. Dux  
Palani et Tagliacozza.



Jeronima Arragonia Ducissa Palani  
et Tagliacozza M. Ant. iun. uxor.

Antonius Medices Princeps  
Castellani Fil. Franc. Mag. Duc. Hetr.



## SEMPER PERVICAX.

Princeps iste hanc Hierographiam exhibuit, dum bellū Veronenſe gereretur. Defendit enim Veronam contra Gallorum, Venetorumque impetus, qui duplici exercitu illam obſederant. Cernitur toga vel tellaris tunica inter ignis flammās illæſa permanere, quia ex aſbeſtino, aut amiantho lapide conſlata eſt. Scinditur enim aut finditur in filamenta lapidis, certoque artificio netur, deinde textitur, ut veſtes & lintea ex eo conficiantur; quæ cum ſqualida, aut ſordida fuerint in ignem, & flammās proijciuntur, aut detinentur, ut mundentur, nitidæque, ſordiumque expertia ſiant. Non conſumuntur enim ab igne, quia lapis iſte omnes ignis non ſolum injurias perfert, ſed exuſtus mundatur. Vt itaque Amianthus lapis, SEMPER in igne PERVICAX, id eſt: conſtans manet, ita Myſta ſe contra omnes hoſtium conatus, ſemper conſtantem fuiſſe, hac Hierographia oſtendere voluit.

## NATURA DICTANTE FEROR.

Quæcunque in hac Hierographia apparent, omnia natura dictante feruntur. Sol ab oriente in occidentem, aut ſi mavis proprio, & naturali motu ab occidente in orientem. Nubes venti afflatum ſequuntur. Mare naturali ſuo motu lunæ motum ſequitur, & flores ſurſum feruntur. Ciconia etiam NATVRA DICTANTE ſemper altiora petit, ac nubes ſuperare nititur. Propterea hanc Symbolo loqui, & Myſtæ locum ſupplere exiſtimandum eſt. Vt enim Ciconia maria tranſvolat, ac montium omnium juga, & nubes volatu ſuperat, ac ad ſublimia contendit, ita etiam Myſta in ſe eandem indolem percipere, clare demōſtrat. Proinde ſe non exilibus humilibuſque eſſe contentum, ſed NATVRA DICTANTE ad altiora, ut ijs potiatur FERri, ſive ea ſint mundana, ut honos, gloria, & virtus, quæ cæteris rebus omnibus præferuntur, ſive cœleſtia, ut æterna fœlicitas, ac Sol ille æternus Deus, ad quem abſque virtute non datur acceſſus. Ad hunc enim Solem qui NATVRA DICTANTE fertur, beatus verè dici poteſt, pauci enim propter primi parentis lapſum ad illum Solem ſummum bonum, plures ad malum feruntur. Nemini acceptum ferendum eſt, ſi quid boni appetimus, & conſequimur.

## OPES NON ANIMUM.

Fuit hæc Hierographia primùm inventa ab Erſilia Cortefe de Monti nobiliſſima fœmina, quia proci quos repudiarat multis cladibus ipſius bona, ut ſe ulciſcerentur, affecerant. Ab hac proculdubio deſumpſit hæc Principiſſa hanc Hierographiam, quæ fortaliſis opum fortunæque jaſturam, alterius inſtar paſſa fuit. Oſtendit itaque animi conſtantiam, & fortitudinem, ac ſe nulla fortunæ, calamitate, impetu, aut inſultu commoveri, aut frangi: ſed animum invictum tenere: quia eſt incendio omnia delerentur, tamen OPES tantum NON ANIMUM exuri. Hic enim ſuperſtes, & firmus, inſœlicia, fœlicia efficere, ac res amiſſas, perditasque, arte, induſtria ac prudentia recuperare, omniaque  
in priſti-



in pristinum statum reducere potest. Sequi videtur hoc casu Biantis dictum: qui incensa patria admonitus, seu increpatus, quod nihil suorum bonorum ex incendio secum efferret, ut ceteri, respondisse dicitur: bona mea omnia mecum porto: animum intelligebat, varijs virtutibus, artibus, ac scientijs instructum, suppellectili ac pecunijs præferendum, quod non solum præsentis fortunæ injurias se superare, sed ita rem suam instituere posse confidebat, ne in posterum egeret: Hærent enim præcordijs vera bona, vivoque nihil eripitur possessori, sed ne mortuo quidem, in anima siquidem sunt, quo nec fortunæ, nec mortis dextra se porrigit. Vera bona & virtutes non delentur fortunæ telis, nec igne extingvuntur; Imò potiùs augmentur & clariores fiunt. Vt enim Solis splendor post tenebras, ac discussis nebulis vivacior apparet, ita & virtus calamitate obscurata, tandemque depulsa, clarior elucescit. Premitur non opprimitur virtus, ac quò magis deprimitur, eò fortiùs se erigit.

### SEMPER IMMOTA.

Diversam à patre & matre Hierographiam edit M. Antonius Columna Iunior: Sed eodem sensu; ut enim quercus arbor durissima, & robustissima, omni ventorum generi sese opponit, ac semper immota manet: ita Principum & Heroum animi nullis fortunæ telis cedere debere ostendit. Frangi lævi fortunæ adversæ afflatu animum, muliebri est, & viro indignum. Fortis vir, non solum adversa non metuere, sed ne mortem quidem debet: ut Socrates, qui Platone teste in Apolog. morti adjudicatus, propter philosophiæ sinceram professionem, ad iudicem conversus ait: Equidem vos omnes singulari quadam benevolentia complector: parendum tamen potiùs duco Deo immortali, quàm vobis. Itaque quamdiu & spirabo & potero, nunquam philosophiæ curam abijciam: nec vestri admonendi, modoque, ac more meo adhortandi ad virtutem, quemcunque ex vobis nactus fuero, occasionem omittam. Hujusmodi fortitudinis exempla apud Christianos eorum, qui pro fide sanguinem effuderunt, multa extant: Imò & tenellæ virgines, ut S. Catharina, Apollonia ac aliæ innumerae, non solum mortem non timuerunt, sed summas delicias, in pœnis crudelissimis, & atrocissima morte se percepisse, sæpe spectantibus demonstrarunt.

### UNA FUIT.

Mulierum & virginum Hierographiæ inventiones, plerunque virorum ingenij acumine & elegantia superant: ut præcedentes complures examinatae, & hæc faciliè ostendunt. Nec mirum, cum foeminae ingenium à durioribus negotijs, civilibus curis, ac gravioribus studijs solutum, amoribus, animique affectibus totum incumbere possit. Hæc certè si quæ alia mihi ingeniosa videtur: inquit Symbolum VNA FUIT, nempe candela ardens, id est anima, vita una, imò humanum corpusculum unum ardens, vivens amore optati sponsi: Quid enim aliud corpus virginis amore ardens, quàm candela ardens? Candela vita, ignis & ardor est. Virginis amantis vita, amor sponsi aut sponsus ipse; æque enim  
istic

istic vivitur aliter, quàm in amati corpore. Sed postquam virgo sponsam consecuta est, & conjunx facta: jam duæ candelæ, vinculo apparent ligatæ, ac simul mutuo amore flagrant, duplicatoque lumine se mutuo juvantes, aliosque illustrantes. Tum gaudent se binas & junctas, quæ antea solæ fuerunt, non solum ut sibi prodesse & lucere, sed etiam alijs possint. Hoc gaudium hac Hierographia propalare Principissa Hieronyma voluit.

### TANDEM.

Procera arbor quam Hieroglypton exhibet patrem, propago filium auctorem Hierographiæ designat. Symbolum TANDEM, mentem Mystæ etiam uno vocabulo satis explicat. Cernitur arbusculæ propago à majoris radice expullulans, quæ TANDEM excrescet, ac majori similis fiet: Hæc enim arborum natura & proprietas, ut quæ à radicibus eijciunt germina, in ejusdem generis arbores excrescant. Promittit itaq; Antonius iste filius, se patri similem TANDEM fore: virtutibus nempe, omnibusque animi, quibus ille pollebat, dotibus: Neque enim aliud laudaretur propositum, cum virtutes, non vitia majorum imitanda sint. Quam fuerit autem pater vir omni virtutum genere clarus, neminem latet. Hunc quod filius sibi imitandum proponat, ac se similem parenti fore promittat, jure laudandus venit: Majorum enim virtutes æmulari egregium, superare gloriosum, ac utrumque non laude sola, sed corona dignum immortalis.



DUCES PRINCIPES ET MARCHIONES TOTIVS ITALIAE 131

Jonnes Maria Varanus I. et ultimus  
Dux Camerini. gener P.P. Leonis ꝛ

Ioannes Farnesus Dux Castri et  
Camerini. Gener regis Francie Galliar.



Bertoläus Farnesius, Dux Camerini  
et Castri.

Carolus Spinellus Dux  
Seminariæ.



Carolus Spinellus Dux  
Seminariæ.

Ferdinandus Dux Calabrie Vice Rex  
Valentia: Frâ. Regis Neapoli fil.



## FONTES DERIVARUNT.

Ex Symbolo & figura facilè colligitur, Principem hunc vivos & perennes aliquot fontes in aquæductum aliquem derivasse reipub. juvanda causa, ac in perpetuam præstiti officij memoriam, hanc Hierographiam posteris reliquisse. Prudentes sunt illi Principes, qui multorum commoda quærunt, ac ea construunt, quæ non sibi solis voluptati, sed populo universo utilia sunt. Inter hæc aquæductus præcipuum locum habere debent. Profunt enim aquæductus in civitatibus, ad extingvenda incendia, ad rem domesticâ & culinariam, ad varias opificum officinas, ad molendino & alia innumera, sine quibus incommodè vivitur. Nulla est civitas etiam si flumine careat, quin arte aquæductum extructum habere possit: Sed magistratum ignorantia aut negligentia, tantum beneficium sæpe omittitur. Vbi flumen nullum est, ex ædium stillicidijs collecta totius anni aqua, aquæductui sufficere potest, si artificiosè construatur: Verum ubi politici non sunt, frustra non consveta, aut nova proponuntur. Multi malunt glandibus, quam tritico vesci.

## FLAVESCENT.

Maturitas perfecta frumenti Symbolo promittitur. Spectantur enim quatuor frumenti manipuli, qui aëri expositi aliquot diebus, Flavescunt, ac frumentum spicis inclusum, terreoque humore adhuc humidum plenam maturitatem adipiscitur. Non dubium est, quin Mystra, si dum Hierographiam ederet, ætate junior fuerit, ac propterea ad res gerendas, non satis adhuc idoneus, brevi ætatis, & iudicij maturitatem sibi fore, Symbolo suis promiserit. Verum si ætatis ratione hæc Hierographia constituta non fuerit, aliquid magni Mystra præ manibus, ac in promptu habuit, quod quidem nondum perfectum & absolutum, brevi tamen fore spondet: ac ob id moram rei certæ, & venturæ, æquo animo tollerandam esse. Vt enim frumentum in manipulos congestum, non statim in horreum deportari debet, sed primùm Soli exponi, ut siccatum, horreisque ingestum, non facilè putrescat, & corrumpatur, ita res utiles, necessariae, & magnæ, antequam occasio se offerat, expediri, & præcipitari non debent. Mora quippe adjuncta, paulatim ita regendæ sunt, ut foelicem fortiantur eventum: Tempus enim quævis negotia maturat, ac rebus gerendis oportunitatem præbet.

## UNDIQUE FRUSTRA.

Turris ex quadrato lapide in mari vel flumine extructa est. Hanc undiq; ventorum afflant procellæ, sed frustra. Turris, Ducem, ejusq; animum notat. Venti & undæ adversarios, ac hostilia quævis. Vt itaque turris firma, **VNDIQUE FRVSTRA** impetitur, ac deiici non potest; ita Dux iste se non solum forti animo esse profitetur, nullasque fortunæ vel adversariorum minas & insultus extimescere: sed etiam tam firma basi inniti, ut nullo fortunæ impulsu nullisque adversariorum arietibus concuti, aut convelli possit. Basis autem, bona conscientia, & virtus est. Bona siqui-

na siquidem conscientia adversa non timet, ne mortem quidem, quam beatam fore, & adversitatum omnium finem agnoscit. Vitam etiam jucundam & lætam, ut mala, tristem facit.

*Si rectè facies, hic murus abeneus esto,  
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Statius:

*Invigilant animo, scelerisq; parati  
Supplicium exercent cura. tunc plurima versat  
Pessimus in dubijs timor.*

Virtutis etiam ea vis est, ut non solum externorum hostium vim repellere, & illudere, eorumque conatus frustrare facere possit: Sed etiam, ut internos illos hostes, id est, vitiorum impetus, animique prava affectus, iram, avaritiam, invidiam, libidinem, ambitionem, superbiam, gulam ac ignaviam domet, frenet, ac vincat.

## EX VULNERE VIGOR.

Antiqua Gnome est: Virescit vulnere virtus. Ab hac Symbolum desumptum videtur, eodem ferè sensu. Quercus virtutem significat, constantiam imprimis, & fortitudinem, quia à nullis procellis, aut tempestatibus facile deijci potest. Securis verò qua vulneratur; hostes, inimicos, ac res adversas designat. Ut itaq; securis quercui vehementius adacta, eandem vulnerat, ac à vulneris & fissuræ vi aut vigore, ita detinetur, ut vix, & non sine magna vi abstrahi possit: ita iste Princeps, si ab hostibus, vel rebus adversis lacepsitus, aut læsus fuerit: non solum se non abijcere, ac minuere animum, sed potius retinere, ac augere, ostendere vult. Ut optimè hac ratione. EX VULNERE, seu incommodo illato, VIGOR prodire, dici possit. Hoc enim proprium viri fortis, & magnanimi est, ut læsus aut pressus, illi crescat animus, ac illatum incommodum evincere & depellere, vel patiendo, vel obstando fortiter, conetur.

## NONDUM IN AUGE.

Orbis quo Sol defertur, non est orbi terrarum concentricus: Hinc fit, Solem interdum remotiorem, interdum propiorem terræ esse. Cum longissimè à terra distat, in auge esse dicitur. In hac Hierographia, neque in auge, neque in opposito augis est, sed in medio itinere movens se, & tendens versus auge. Carolus Spinellus primus author istius Hierographiæ, qua & nunc tota familia utitur (& Illustris. & Reverendis. apud suam Sac. Cæs. Majestatem Rudolphum I. Imperatorem gloriosissimum, nuncius Apostolicus) indicare voluit: se nondum desiderata & optata attingisse: Quæ autem ista fuerint, difficile est conjectu. Possunt enim amores, honores, divitiæ, ac æterna desiderari. Amores, à junioribus & solutis, voluptatis causâ: honores, & divitiæ à viris, ut alijs benefaciant: ac æterna ab utrisque, si sapiunt, appeti solent. Carolus istum in rebus bellicis Carolo Quinto & regi Philippo Hispaniarum inservivisse fidelissimè, ac magno cum successu, testantur historiæ. Alij etiam complures istius familiæ, qui eadem Hierographia usi sunt, & adhuc

N

utuntur,

utuntur, non minùs virtute rebusq̄ue bellicis gloria & honore clari, & illustres sunt, ita ut nihil amplius illos desiderare posse, quis arbitretur. Verùm ea est magni excelsisq̄ue animi, & veri principis indoles, isq̄ue genius, ut semper altiora petat, majoraq̄ue cupiat, ac nunquam extremum fœlicitatis culmen se assecutum putet. Laudandus profectò, magniq̄ue faciendus is appetitus, si virtutes sectetur: hoc enim illa tandem comprehenditur ac tenetur, tenentemq̄ue æterna mercede satiat.

### CAUTIUS.

Circumfert secum domicilium, scutum, ac sepulchrum limax: Dum nimis confidenter repit, & sub scuto, aut testudine sua non latitat, sagitta feritur, quæ in hoc Hieroglypto humeris infixam apparet. Symbolum aut cautiùs incedendum fuisse: Quicumque enim hostes, vel adversa veretur, ita se munire, ac ita prudenter se gerere debet, ut prævisa jacula evitentur, ne feriant. Pericula etiam semel suscepta erudiunt, ac prudentiores faciunt. Fuit iste Princeps ab Hispanis incarceratus, quòd cum Rege Galliæ, dum Navarram recuperare ab Iberis vellet, pactum secretum habuisset: ac ad Regem redeunte in Galliam exercitu, fugam instituisset. Ictus itaque adversa fortuna & captus, non facilè fidendum, ac prudentiùs & cautiùs eum, qui liber est, & alicujus partes sequi vult, quid agat, examinare debere, hac Hierographia ostendit. Lex hæc prudenti viro præ oculis perpetuò sit: Periculosa omnia circumspèctè & non nisi omnibus modis, quibus damnum inferri possit, examinatis agenda esse. Vigiles enim ut velis, & prævideas cuncta, vix adhuc illæsus evades. Ut tutiùs evadas, deterrima quæ contingere possint, futura statuito, ac ijs, ne fiant, actus & consilia selectiora obijcito:  
ita CAVTIVS tua institues, periculâ vitabis, & prudens eris.

DUCES PRINCIPES MARHIONES TOTIVS ITALIAE 135

Franciscus Baucius Dux Adri  
Generalis Venetorum Republicae

Joannes Fridericus Dux  
Adri etc.



Fridericus Dux Montis  
Alti

Andreas Mathews Aquavina Dux  
Adriae



Andreas Capuani Dux Termolis  
Generalis PP. Julij III

Jacobus Boncompagnus Dux  
Sore filius PP. Gregory XIII



## SEMPER ARDENTIBUS.

Aquilæ quia proprium est altissimè præ cæteris avibus volare, propterea in Hieroglyphicis, excelsas animi cogitationes notare solet. Potest itaque rectè aquila Mystam, seu authorem Hierographiæ designare, ac serpens qui pectus aquilæ verberat, amasiam. Ex Symbolo autem SEMPER ARDENTIVS, dignoscitur serpens dipsas esse, qui à se verberatum, siti insatiabili cruciat, ac ita afficit, ut quò plus bivat, ardentius potum appetat. Similis sitis in amore animadvertitur: qui enim formosæ fœminæ, aut puellæ amore captus est, quo plus eam contemplatur, SEMPER ARDENTIVS majorique contemplandi desiderio afficitur & tenetur. Ea enim amoris vis est, ut amans nunquam visu amicæ satiatur, sed SEMPER ARDENTIVS intueri cupiat, donec illa fruatur, ac illi uniatur.

NON COECA CONDEMUR  
IN ALVO.

Equum Troianum Hieroglypton refert, cujus historia Sex. Aeneidos à Virgilio recitatur. Is Græcorum dolo Troiæ capiendæ causa extructus erat. Obsederant enim decennij spacio Troiam Græci, ac cum se capere urbem posse desperarent: ad fraudes, & dolos conversi, equum immensæ magnitudinis construxerunt, intus concavum ac militibus tantum repletum. Hoc in castris relicto, castra ipsi deseruere, ac ad Tenedum insulam non procul inde distantem se receperunt, paucis circa equum relictis, qui nunciarent Troianis, Minervæ sacris occupata urbe dedicatum fuisse, ac propterea optimum fore, si tantum Deæ oblatum munus, in urbem illæsum ad Deæ delubra deferretur. Troiani machinam admirati, ac religione commoti, cum per portas non possent, dirutis civitatis muris, viam equo fecerunt, ac in civitatem traxerunt. Id cum Græci audissent, statuta hora ad moenia properarunt, ac equo inclusi pactum facinus cum adventantibus socijs aggressi, similiter tumultum non levem equo egressi, in civitate excitarunt: Ita ut tandem urbe, Troianis expulsis, potirentur. Ad hanc historiam alludit Mysta dum ait: NON COECA CONDEMVR IN ALVO. Quo Symbolo indicare vult, se non dolo, & fraude, sed virtute hostes suos superare velle. Generosa me herclè Gnome: Animus enim magnus non rectè, & clanculum, sed apertè inimicis nocere cupit, ut illi, se non fortuna, sed virtute superari sentiant, ac virtus, inimici dolorem augeat. Cùm itaq; se ulcisci cupit Mysta, palam id facit, ut inimicus, si illi impar sit, majorem dolorem, quòd se vicissim ulcisci non possit, & hostem à quo injuria illata est, noscat, impunitumque sinere cogatur, habeat. Hæc sunt animi magni indicia, leonisque, non vulpeculæ naturam ostentant.

## PRUDENS SIMPLICITAS.

Inter ea quæ vitam beatiorum efficiunt, Martialis prudentem simplicitatem enarrat. Inde Symbolum desumptum est. Simpliciter prudentis



dentis Hieroglypton columba est, abieti arbori rectæ, quæ nullis tecta est ramis insidens. Prudentia columbæ colligitur ex eo, quod excelsæ arbori insideat, alis ad volatum extensis: ut accipitrem facilius, & procul conspicere, ac ipsius dolos, technas & pericula fugiendo & avolando illudere extemplò possit. Columbæ verò simplicitas, tum arboris rectitudine, qua propria natura sursum ignis instar absque ulla curvatura tendit: tum eo ipso, quod columba detecta sedeat, signatur. **PRVDENS** enim **SIMPLICITAS** non cadit, nisi in eum, qui rectus, & apertus, id est, non tectus est. Talem proculdubiò hic Princeps se esse, profiteri hac Hierographia voluit: verum veri Principis signum: Qui enim simulare cogitur, & apertus esse non potest, is, neque regnat, neque regnare scit. Non regnat, quia voluntatem ad quævis imperia liberam non habet: nam ab eo stringitur, quod simulationem postulat. Regnare nescit: quia id, quod stringit voluntatem, amovere ac tollere non potest. Qui simulare coguntur, plerunque tyranni sunt, quia simulant, ut decipiant, seditionem effugiant, ac suos sub jugum pedetentim redigant. Si recti & aperti essent, boni principes essent, ac non nisi quod æquum & justum est, peterent, ad quæ simulatione nulla opus est. Hujusmodi quivis vir bonus facillè concedit Principi, ac ratione regnanti libenter paret, quod hac ratione non bonis, qui lege opus non habent, sed malis imperet, qui, ut boni defendantur, beateque vivant, coercendi sunt.

### QVID IN ARIDO?

Nullum est animal, quod extra naturalem vitæ sibi commodæ locum, bene vivere possit. Piscibus aqua, quadrupedibus terra, & avibus aër, ut suum victum & pabulum habeant, convenit. Quæ si mutet, & pisces in aère, aves in aquis, vivere velis, naturam ipsam auferes, & non vitam, sed interitum omnibus procurabis: Ita enim Deus Opt. Max. aptè inferiora hæc omnia constituit, cumque sensum animalibus dedit, ut unumquodque non solum quis locus illi, ut diu vivere possit conveniat; sed etiam qui cibis, qui potus sentiat, quem si mutet, vel interit, vel ægram & molestam trahit vitam. Hic Cete, vel aliud monstrum marinum habes: quod quantam vim in mari habeat, nemini ignotum est: Sæpe enim maximas naves invertit, unico ictu sternit, undisq; obruit. Sed **QVID**, ut inquit Symbolum **IN ARIDO?** supple potest? nihil profectò: Dum enim ad littus excurrit, ac intempestivè aquis destituitur, immotum jacet, breviq; moritur. Nihil itaque in arido, ne vivere quidem potest. Dux iste Adriæ, ad familiæ nomen alludit Hieroglypto, ac ut Cete absque aquaviva diu durare non potest: ita nec Ducatum suum, (quem Cete figura notare vult) sine ipso, aut ipsius familia, (quæ instar aquævivæ eundem alit, fovet, omnibusq; beneficijs, quæ ad ipsius conservationem conveniunt, accumulata) stare & florere diu non posse, hac Hierographia ostendit.

### FORTIBUS NON DEERUNT.

Manipulus hic cernitur missilium hastarum, quas Romani pila vocabant, Erat autem omnium longitudo ligni, ferè tria cubita, quibus singulis aptabatur telum ferreum hamatum, longitudine par ipsi ligno,

cujus nexus ita validè firmabatur: ut non priùs devinctio illa, inter utendum solveretur, quam ipsum ferrum defringeretur. Hastatorum principum, & triariorum apud Romanos, erant arma ista missilia quibus scuta & loricas sæpe transverberabant: hostium scutis si hærebant illa reddebant inutilia, cum semilanceis hodiernis comparari possunt, nisi quod graviores sint, & mitti non possint. Mysta hanc Hierographiã ad terrendos hostes, & adversarios elegisse videtur: Ostendit enim, sibi tanquã viro forti, neq; animum, neq; arma defutura, ut vim vi repellat, ac illatas injurias ulciscatur: FORTIBVS enim NON desunt arma, & jacula, cum sæpe viri fortis, & gravis oratio, armorum vices suppleat, hostiumq; conatus supprimat & impediãt. Admonere etiã hac Hierographia Princeps velle videtur, ne temerè subditi etsi inermes, vexentur, & ad seditiones compellãtur, quòd fortibus nunquam desint arma, & furor arma ministret: Helvetiorum exemplo, qui cum equis & armis carerent, lanceis, hastisq;ue, principes & nobilitatem expulerunt, ac se in libertatem receperunt.

### SEMEL IN ÆTERNUM.

Volitat in sublime aquila, ac Solem intuetur, quem SEMEL intueri, ac IN ÆTERNVM, ut Symbolum ait, cupit, hoc est, semel & semper: Non enim cum aspicere incepit, intermitti aspectum, sed permanere perpetuò vult; Aquilæ natura, ut aliquoties diximus, ea est, quòd omnes aves volatu superet, Solemque illæsa oculorum acie, intueri possit. Ob quam causam exclusos & adultiores pullos probat: quorum si visum hebetari, aut offendi Solis radijs percipit, tanquam adulterinos è nido, ut alimento indignas præcipitat. Aquila in hac Hierographia Ducem notat, qui Solis, id est, adamatæ Amasiæ suæ splendore semper frui desiderat. Hoc enim commune omnibus amantibus est, ut nunquam aspectu Amasiæ fatientur, sed perpetuò sibi præsentem optent. Theologicè possumus Hierographiam explicare: Ducis nempe animum, amore divino capi, Dei que conspectum & unionem, SEMEL IN ÆTERNVM expetere, ut aquila, visibilis Solis splendore, semper delectari cupit. Quo sensu elegans & pia est Hierographia, id proponens, quòd omnibus qui æterno Sole frui volunt, pernecessarium est.

Nisi enim quis Deum Opt. Max. amet ex  
toto corde, nunquam illo  
uniectur.



DVCEs MARCHIONES ET PRINCIPES TOTIVS ITALIAE 139

Constantia Sfortia Ducissa Soror  
Jacobi Boncompagni uxor

Claudius Dux Adri tribunus militum  
Regi Philippo in Regno Neapoli



Isabella Roverea S. Severina  
Principissa Bisignani

Nicolaus Bernarminus S. Severina  
de Scanderbegi Princeps Bisignani



Irena Castriota Principissa  
Bisignani Nicolai uxor

Antonius Castriotus Dux Ferdinandi  
nus Marchio Tripalæ Regi Scanderbegi



## CANDOR ILLÆSUS.

Vespertiones hîc inimicos, & invidos notant. Olor Principifam. Vespertilio neque quadrupes, neque avis est, utriusque tamen naturæ particeps: Pedes enim habet ac dentes, ut aliæ quadrupedes, pennis plumisq̃ caret: Lucem Solis non fert, propterea vesperi tantum membranis, non alis, ut avis volitat. Cignus albedine, & candore cæteras aves superat. Apollini sacer est, à quo divinationem habere videtur: Nam prævidens quid in morte sit boni, cum cantu & voluptate moritur. Musarum etiam ob cantum ales dicitur, ac boni semper est ominis, Ennio teste:

*Cygnus in auspicijs semper latissimus ales  
Hunc optant nautæ, quia non se mergit in undis.*

Vt verò eximius candor Cygni, à vespertinis tenebris obscurari non potest, multoq̃ minùs à circumvolitantibus vespertilionibus: Ita & istius Principissæ animi candor, contra perversorum & invidorum hominum technas illæsus permanet: neque injurijs aut calumnijs offendi, aut lædi potest. Magni profectò animi indicium est, injurias & calumnias contemnere, ac innocentia scuto excipere, vindictamq̃ Deo soli relinquere. Narratur de Iulio Cæsare, quod nullarum rerum oblivio quam injuriarum illum capere poterat, ob quam causam à multis olim philosophis laudatus fuit, & pro magnanimo habitus. Nunc nobiles viri, si inultas injurias relinquunt, se pro abjectis haberi opinantur, tanta est hujus seculi, in dijudicandis rebus veris à falsis caligo: Verùm hæc Principissa hac Hierographia, se præstantiùs hac de re habere judicium ostendit.

## QVIS NOSTROS EXPIET

## IGNES.

Non dubium est, quin iste Dux, dum ait, QVIS NOSTROS EXPIET IGNES, amoris ignes & flammam intelligat: Ac amicæ suæ ingeniosè hac Hierographia significet, (cum fortassis alijs rationibus præclusa illi sit via) quam vehementer illius amore flagret, quantisque flammis, quas ne Oceanus quidem extingvere possit, ardeat. Comparat enim amoris vehementiam, Aethnæ aut Heclæ montis flammis, quæ perennes, & perpetuæ, neq; ab imbre neque mari, aut fluvio extingvi possunt, tantaque vi saxa ingentia eructant, ut ad aliquot miliaria, ignis vi projiciantur. Eleganter omnia; vix enim amoris igne & flammis aliæ majores esse possunt. Vtpote quæ microcosmum consumunt, in rabem redigunt, ac planè exurunt: Primum enim amantes tristes, abjecti animi, ac pallentes fiunt, longisque suspirijs vitam trahunt, tandemque paulatim miseram vitam agunt, ac extabescunt. Id apud Plautum testatur adolescens, dum ait:

*Factor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris  
Rota miser, exanimor, feror, differor, distrahor,  
Diripior, ita nullam mentem animi habeo, ubi sum,  
Ibi non*

*Ibi non sum: ubi non sum ibi est animus.*

Complures ut has animi anxietates, amorisque flammam effugerent, sibi ipsis carnifices fuerunt. Sic Medea seipsam in ignem coniecit: ac Iphis puer se suspendit, cum Anaxareten puellam incredibili amore persequeretur; & Cephalus ob amorem Piarole Deginiti filiae, ex faxo se praecipitavit. Quis istos neget maximis flammis exuri, cum sola mors, omnium rerum inducens oblivionem, illas expiare possit.

## NON SAN QVESTI OCCHI MEI

VOLGER SE ALTRVI.

Inquit Italicè. Non possunt oculi mei aliò se vertere; non mirum: tanta enim est Solis pulchritudo, tam gratus calor, ut flosculi omnes, ac inter ceteros ocellus seu garyophyllus, (ab oculis enim nomen habet) Solis aspectum sequatur, ac illi faciem opponat. Latantur enim omnes flosculi Solis aspectu, tum quòd ab ejus radijs illustrentur, ac pulchritudo eorum conspicua reddatur, tum quòd illius calore foveantur, nutriantur, & excrecant. Flosculorum exemplo, hæc Principissa testatur amoris conjugalis vehementiam, ac se Solis, id est mariti consuetudine & conspectu ita delectari, (utpotè cujus beneficio, vitam & dignitatem habeat) ut nullius alterius rationem ullam habere possit. Mulieris probæ officium est, viri mores sequi, illosque sibi à Deo pro lege constitutos existimare, ac observare, si foelicem cum marito hinc & post obitum vitam degere velit. Quæ viro obsequiosa non est, sibi infœlicem vitam facit, rem familiarem pessundat, prolem malis exemplis educat, ac animæ suæ jacturam facit. Rectè itaque & prudenter hæc Principissa maritum solum amat ac colit, aliorumque virorum conspectum negligit, & contemnit.

## HIS PERFUSA.

Cernitur hinc concha margaritifera, unionem dorso ferens, scopulo innixa, Soli, rorique maritimo sese exponens: Symbolum ait HIS PERFUSA. A Plinij & vulgari hominum opinione desumpta videtur Hierographia: Scribit enim Plinius, certo anni tempore conchas luxuriare, ac maritimum rorem, veluti maritum sitire, cujus desiderio hiant, & cum maximè lunares liquantur aspergines oscitatione quadam haurire humorem cupitum: sic concipere gravidasque fieri, ac pro qualitate roris accepti, ac cœli serenitate pulchras fieri. Cœli enim, Solisque majorem illis esse, quàm maris societatem. Turbido cœlo, turbidas: ac claro, claras fieri, sanosque partus multiplici constare cute: Hæc Plinij & vulgi opinio. Ego ex conchis uniones exemi complures, ac deprehendi illos in animalis corpore nasci, ex eo humore, ex quo testa ipsius conchæ excrevit. Humor enim ille, testæ adhærens, siccescit paulatim, & induratur, ac non nisi certo tempore ab animali pro testæ fabrica eructatur. Hinc fit conchas multiplici constare cute. Dum humor ille ab animali morbo expelli non potest, & in corpore detinetur, siccescit, ac adjecta sæpiùs nova cute excrevit, & in unionem abit, non secus ac in hominum vesica

num vesica

num vesica lapides generantur. Dignoscuntur extrinsecus conchæ, quæ margaritas proferunt: Cùm enim pulchræ extrinsecus, & benè formatae sunt, margaritis carent, dum tuberosæ, inæquales, ac morbosæ quodammodo sunt: tum uniones habent. Parum refert, quòd vulgarem hac de re opinionem Mystra sequutus sit, dummodo Hierographiæ genuinus sensus innotescat: Vt enim unionem parvum & vilem, Solis & roris beneficio, crescere, augeri, & pulchritudinem, valoremque maximum acquirere putat. ita se, quem propter ætatem juvenilem, unioni exiguo comparat, tandem ætate & annis ( quos Sol describit) auctum, bonaque educatione, virtutibusque, tanquam rore perfusum, virum excellentem, magnique pretij fore promittit. Eleganter profectò: uniones enim, ut corpore, splendore ac puritate: ita pretio crescunt.

## CHE MI PVO FAR DI VERA

GLORIA LIETA.

id est:

## QVI ME POTEST VERA GLORIA

FOELICEM FACERE.

Sol se inspicientem aquilam potest vera gloria foelicem facere, ut Symbolum Italice ait. Vera gloria hîc est ea, quam virtus, & bonarum actionum merita pariunt, ac Sol cœlestis & summus, visibilis Solis genitor tribuit. Animus itaque nobilissimæ fœminæ summopere laudandus, quòd semper Deum contemplari, ac ad illum se vertere, utpote qui omnes mentis tenebras illustrare, & illuminare, illamque solam latam efficere potest, velit. Quòd si quis Solem maritum intelligere cupit, non malè exponet Hierographiam: fuit enim mariti amantissima, qui cùm in Hispaniam profectus fuisset, hanc illi Hierographiam misisse dicitur, ut ostenderet se absque ipsius copia, & præsentia, verum gaudium nullum habere posse. Fuit illa filia, Ducis S. Petri in Galatina, ex nobilissima Epirotarum familia, quam Castriotam, aut Scanderbecam familiam vocant. Quæ ferè toti Albanïæ tamdiu imperabat, donec Amurathes Imper. Turcarum occupata Macedonia obsidum loco Ioannis Castrioti filios ad se vocatos, veneno necasset, minori natu Georgio excepto; quem priùs à Christianis baptisatum circumcidi iussit, ac Scanderbeg, id est Alexandrum Principem appellavit: Beg enim principem significat. Is cùm ad vigesimum ætatis annum pervenisset, multa pro Turca bella foelicissimè gessit, ac summus totius militiæ præfectus, ab eo constitutus fuit. Postea tamen quòd à suis nimis magni fieret, pœnituit Turcam promotionis, ac rationes quibus interfici commodè posset, quæsivit. Id cùm subolefecisset Alexander, data opportunitate, in Epyrum avitum regnum se recepit, ac manu militum collecta, sibi iterum paternum regnum recuperavit, multisq; Turcarum milibus stratis, & fufis, multis annis, & quamdiu vixit contra Turcarum vires defendit, & tenuit.

## JUVAT AER ET IMBER.

Qui aliquando maria transnavigarunt, proculdubiò observarunt,  
venti,

venti, aut aëris impellentis beneficio, dum à velis sistitur, ac excipitur, totam navem cui adhærent vela, vi illius propelli, ac citissimè moveri: deinde hunc motum augeri, vehementioremq; fieri, si vela aqua perfundantur, propterea quod ab aqua obstructis veli poris aut foraminulis, aëris aut venti nihil, velum transire, possit: I V V A T itaque, ut Symbolum ait, A E R E T I M B E R navis motum. Navis Principem notat, qui scopum propositum consequi cupiens, fatetur absq; cœlesti auxilio se consequi non posse; Proindè manifestè imploratam numinis opem, (qua ducitur, & pellitur, ut eò faciliùs optatum propositi sui portum, aut scopum consequatur) in se percipere. Vt enim navis absque vento progredi non potest, eoque adjuta, pluviaque velis perfusis, facillimè cursum perficit; ita etiam absque Dei auxilio (quod vento & imbre significatur) nihil possumus. Vbi itaq; id ad manum est, omnia nos posse, & quæ fieri non posse videntur, credimus. Rectè ergò conatibus suis adjungit hic Princeps divinam opem, quæ petenti cuivis facillè præstò est, ac difficilissima quæque facillima facit.



144 DVCEs PRINCIPES MARCHIONES TOTIVS ITALIAE.

Joan. Alphonsus Dux  
Fernandus etc.

Alphonsus Piccolominus Dux  
Melfi nepos Pij II Pont Max.



Ludovicus Piccolominus Dux  
Melfi nepos Pij III Pont Maxim.

Hieronima Columna Ducissa  
Montis Leonis



Anarcas Doria ab Auria et Melfi Princeps  
Admirallus et Generalis Caroli V Imper.





## HEBETAT ET ACUIT.

Saxi & rupis ea est natura, ut ferrum & malleum hebetet, & acuat, prout ille, qui malleum regit, cum rupi adhibet: Si enim planè in faciem, & ad angulos rectos, ut Geometræ loquuntur, saxum verberet, hebetabitur proculdubiò: Si verò aliter, ut acutum angulum faciat cum rupe, quò minorem, eò magis & faciliùs malleus acuetur. Vir, Principem: malleus, populum notat. Qui reipublicæ præfunt principes, ac plebem regunt, si omnia planè & apertè agant, legesque novas patrijs contrarias promulgent, strictèque observari velint, aut populum tributis, alijsve incommodis absque ulla simulatione & necessitate onerent, aut premant, sæpe imperium hebetant, in periculum conijciunt, invalidum ac debile reddunt. E contra, si populum blandè regant, ac humaniter tractent, statum & imperium non hebetant, sed acuiunt, id est firmum reddunt; ut postea quævis incommoda superare possit. Hoc verorum principum, qui amore suorum regnum stabiliunt, ac publicæ utilitati student, illud tyrannorum (qui suis exosi, prima data rebellandi occasione, omnem imperandi vim amittunt) officium, & munus est. Hanc regendæ reipublicæ rationem significare hunc Principem voluisse, verisimile est: nisi fortassis rupe, adversa quævis, quæ animum & hebetant, id est, offendunt: & acuiunt, id est prudentiorem efficiunt, intelligi voluerit. Adversa enim omnia, dum damnum inferunt, aut animum premunt, prudentiorem hominem faciunt. Hinc proverbium: Piscator ictus sapiet.

## NON VEGO UNDE ESCA.

id est:

## nescio quæ exhibo.

Mytha hîc Labyrinthum exhibet pro Hieroglypto. Fuerunt Labyrinthi duo, unus in Ægypto, alter in Creta. Labyrinthus pyramides operum mirabilitate superabat: Huic enim duodecim erant aulæ, tecto coopertæ, portas invicem habentes oppositas, quarum sex in Boream spectabant, sex Notum respiciebant: unus erat murus exterior, qui illas intra se continebat. Domicilia interiùs erant duplicia: alia quidem subterranea, alia sublimia, & sub illis numero ad tria milia. Ad hujus Labyrinthi imitationem, Labyrinthus in Creta à Dædalo extractus fuit, in quem includebantur juvenes tributi nomine ad regem Minoëm missi, qui à Minotauro vorari putabantur: Verùm cum Theseus eò navigasset, ab Ariadne Minoïs filia, Dædali inventionem, edoctus fuit, quo pacto casò Minotauro (quod monstrum fuit quadrupes, capite & brachijs humanis, Centauri instar) ab inextricabili viarum errore se expediret, ac ad ingressum, fili ductu reverteretur. Ostendit hoc Hieroglypto Mytha: ut illi, qui Labyrintho intrusi erant, propter multifarias vias egressum reperire non poterant, tandemq; à Minotauro devorabantur, neque aliter quàm Thesei filo, spes exitus dabatur: ita etiam se in hoc mundi theatrum, ad publicam functionem & principatum à Deo vocatum, tot negotijs, curis, sollicitudinibus & tricis implicitum, ut nesciat quomodo se

O

extricet.

extricet. Difficultates has non solum gubernacula & res publicæ, sed etiam privatæ augment: dum Sathan alter Minotaurus, vitiorum multitudine & mundanis illecebris, implicatos, quærat ut devoret. His omnibus simul qui detinetur, verè in Labyrintho est, nullusque illi egressus patet, nisi Thesei filo utatur, ac illud tanquam itineris ducem sequatur, id est, Dei præcepta & leges observet: His enim facilè Minotaurum cædet, & erroneis vijs relictis, veram capeffet, tandemque Labyrintho egressus, æternæ libertatis domicilium ingreditur.

## EX BELLO QUIES.

Vt ex oleæ arboris (pacem designantis) ramis, in circumvolvendis rotæ brachia incidentibus, contraque motam rotæ luctantibus, rotæ tandem quies oritur: ita ex bello quies nascitur. Omne enim bellum instituitur, vel ut ibi quies fiat ubi geritur, vel ut alio in loco. Sæpe enim foris bellum geritur, ut domi quies & pax sit. Id qui faciunt principes, vel respub. non parum sapiunt: Hac enim ratione non solum stabile fundamentum statui suo ponunt, dum pax & quies omnium rerum affluentiam, & divitias ad se, pro futuro belli neruo trahant; sed hostes debilitant, & ne suam provinciam aggrediantur, impediunt. Quibus & id foris gerentibus bellum contingit, quod perdere provincias suas non possint, alienas verò conquirere, & plerunque hostium agros vastando, & prædas agendo, illorum sumptibus bella gerant: Sic Romani, dum in Italia cum Annibale diu bella gessissent, tandem missò in Africam Scipione cum exercitu, Italiam ab Annibale & bello liberârunt, & quies domi externo bello inducta est, prudenti Senatus consilio. Interdum domi bellum geritur, quod civile dicitur, cæteris periculosius & diuturnius: Hujus etiam finis, quies, & reipub. tranquillitas statuitur. Oritur enim propter oppressionem, principis, optimatum, vel plebis, qui sese in pristinum libertatis statum restituere, ut quietè & securè vivant, cupiunt. Qui bellum ambitionis causâ gerunt, ut alijs imperent, Alexandri Magni exemplo, illi etiam si ex bellis bella ferere & quærere, nullamque quietem poscere videantur: tamen pacificum regnum, omnibus sub jugum redactis, quibus pro libitu imperare possint, sibi proponunt. Ita ut nec hoc modo Symbolum à vero declinet, EX BELLO quietem nasci. Omnia siquidem bella propter finem aliquem instituuntur, qui alius à bello est, & quicumque is sit, absque bello est, id est, belli finis seu quies.

## OBVIIS ULNIS.

A se elapsam alioque delatam fortunam, muliercula *μετάνοια*, Occasionis aut Pœnitentiæ filia, tumulo insidens, expansis & OBVIIS cum peplo expectat VLNIS: Non enim semp adversa est fortuna neque perpetuò contraria manet: sed aliquando mutat faciem, ac iterum affabili se ostentat, & redit vultu. Hanc revertentem diligenter observare convenit, ac OBVIIS VLNIS ejus ducem occasionem, quæ hic depingitur, excipere: Mulier enim rotæ insidens volubili, novaculam manu prehensens,

hendens, talosque alata, passos habens crines, anteriore capitis parte pilosa, ac occipitio calva, non fortuna, sed ejus dux occasio est, à Poëtis Dea vocata, ac à Phidia excellentissimo sculptore primùm è marmore delineata, quæ Aufonij carmine interrogata, eidemque respondens, seipsam graphicè depingit in Epigram:

*Cuius opus? Phidia, qui signum Palladis eius:*

*Quisq; Ionem fecit, tertia palma ego sum.*

*Sum Dea quæ rara, & paucis occasio nota.*

*Quid rotæ insistis? stare loco nequeo.*

*Quid talaria habes? volucris sum, Mercuriusq;*

*Fortunare solet, trado ego cui volui.*

*Crine tegis faciem? cognosci nolo. Sed heus tu*

*Occipiti calvo es? ne tenear fugiens.*

*Quæ tibi juncta comes? dicat tibi: dic rogo quæ sis?*

*Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.*

*Sum Dea, quæ facti, non factiq; exigo penas.*

*Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.*

*Tu modo dic quid agat tecum? Si quando volarui,*

*Hæc manet hanc retinent, quos ego præterij.*

*Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris*

*Elapsam dices me tibi de manibus.*

Hoc Carmine & Hieroglypto, eleganter natura & vis occasionis exprimitur: Rota enim volubilis, inconstantiam illius, ac capilli anteriores, prehensuque faciles, occasionem oblatam subito retinendam esse, indicant. Quippe quæ semel elapsa, non facile iterum prehendi (ut calvities demonstrat) potest. Nam novacula omnis generis moræ & impedimenta refecantur: ita ut non facile semel negligentia amissa iterum haberi possit, sed eius loco Metanœa, vel pœnitentia. Occasionis observandæ curam ac diligentiam summam habuisse hanc Principissam, Symbolum indicat. Quia fortassis nimis leviter aliquando fortunæ, ac occasionis rationem habuerat: Ob id documentum dans, & sibi, & ijs, quibus fortuna interdum arrisit, quo pacto si iterum arrideat, ejus oblatam occasionem, **O B V I I S V L N I S** amplecti debeant: Qui enim datam occasionem, cum ad manus est, negligunt, tardè vel nunquam eam recuperant, ac calamitatibus, alijsque adversis pressi, imprudentiæ suæ pœnas dant. Tritum est adagium: unumquemque suæ fortunæ esse fabrum, & verè: illi nempe, qui occasionem observat & captat: Multi enim etsi tam benigna fortuna est, ut obviam ire, ac ad fœlicia quævis invitare, & non petita ultrò offerre, videatur; si tamen negligitur, ac beneficij occasio evanescat, non facile postea pristina benignitate affulget; sed Metanœam, id est, pœnitentiam, ejusque pedissequas, dolorem, & mœstitiam, in suo loco relinquit. Prudentes itaque sunt, qui oblatas occasiones

emergendi, beneque vivendi, etsi exiguae primò videantur, arripiunt: Paulatim enim basi constituta facile ad majora & meliora pervenitur. Qui parva contemnit, majoribus vix dignus est; Rarò per saltum absque gradibus, ad altiora & sublimia datur aditus. OBVIIS itaq; VLNIS, quaecunque spem meliorem spondent, istius Principis consilio amplectenda sunt.

### NON DORMIT QUI CUSTODIT.

In triremibus & munitionibus saepe, quibus custodiendi munus incumbit, dormiunt, hoc est, custodias ipsis creditas negligunt, ita ut propterea in hostium potestatem veniant, resque gravissimas & maximas perdant. Ut ante paucos annos Turcis Iaurini contigit, qui campana tormentaria per fractis civitatis januis, circumventi à Rudolphi Cæsaris militibus, ad unum omnes, occupata civitate, cæsi sunt. Simile nuper ijs, qui Albam regalem custodiebant, accidit: Hi enim neglecta palude, ac ea parte civitatis, quæ paludem respiciebat, à transeunte paludis vadum milite Cæsareo, intercepti fuerunt, urbeque capta, trucidati. Isti omnes etiam si custodes fuerint, dormierunt, hoc est, malè, negligenter, & sine fructu custodierunt. Myta qui triremium Caroli Quinti Imperatoris summus præfectus fuit, hujusmodi custodes Symbolo iutelligi non vult, sed verum custodem Ichova, cujus custodia sua omnia commisit, dum Tunctanam expeditionem aggredereetur. Hunc enim scivit pro grege suo semper vigilare, ac nunquam, ut alios custodes, dormire; de quibus inquirunt sacrae literæ, frustra vigilant qui custodiunt civitatem, nisi Dominus custodièrit illam. Indicare itaque voluit Myta, se omnem spem salutis in Deo ponere, eumque pro se vigilare, ac triremium suarum fidum custodem in expeditione Tunctana fore.

### VIAS TUAS DOMINE DEMON-

#### STRA MIHI.

Andreas Doria dum triremem pro Imperatore Carolo Quinto, ad expeditionem regni Tunctani ædificasset: triremi hanc Hierographiam appingi iussit: Qua manifestè significat, se, quemadmodum tres Magi regesve Orientales, stella divina ducti sunt Bethlehemum, etiam hujusmodi itineris Ducem implorare, atque ab eo auxilium petere, ut hostes superare possit. Id enim tela, à stella ejaculata apertè ostendunt. Sapienter exercituum duces, Deum pro duce & adjutore cupiunt: Quia is omnium exercituum dux supremus, victoriam cui vult largitur, cum omnes victoriæ occasiones in ipsius sint manu. Nam mare ventos & meteora regit, ac cor hominis vel audax, vel pavidum reddit, ut parva manu vincantur hostes. Sic Iudæi exiguis copijs, Deiq; auxilio audaces facti, Holofernis numerosum exercituum panico pavore consternatum, fuderunt. Tantum potest hac in re numen.



DUCES PRINCIPES ET MARCHIONES TOTIVS ITALIAE 149

Felice San Severina Ducissa  
Grauince etc.

Zenobia Caretta Doria Principissa Melfi  
et March de Thors Anatez Doria uxore



Joannes Andreas Doria iunior ab Auria  
et Melfi Princeps Adm. Reg. His

Peretta Cijbo Caretta Doria Principissa  
Melfi uxore Anatez Doria etc.



Joannes Bentinofus Princeps Bononie  
S. Romani Imperij Vicarius

Augustinus de Lando Vallis Terre Princeps  
Barati Marchio et Compiani Com.



## ILLE MEOS.

Virgilianum est Symbolum, ac Didonis, quæ perpetuam post obitum mariti viduitatem se servaturam jurabat, verba :

*Ille meos, primus, qui me sibi junxit amore  
Abstulit, ille habeat secum, seruetq; sepulchro.*

Hieroglypton Symbolo respondet; cernitur enim turtur exiccato insidens arboris ramo, qui conjugij fœdera ita servat, ut post obitum conjugis, aut paris superstes, nunquam conjugij societatem, aut parem amplius quærat: defuncti enim mortem perpetuò luget, omnesq; delicias fugit, neq; viridibus arborum ramis amplius, sed exuccis, aridisq; tantum insidet. Hæc Principissa, Ducis Bisignani filia, turturis exemplum secuta est: Marito enim defuncto, ipsa florente ætate vidua superstes, lugubris semper mansit, seseque ab hominum consortio segregavit. Domi etiam perpetuò oclusa vestalis virginis instar, ac à vino abstinens, studijsque divinis, & moralibus dedita, remansit. Nullas nuptias à principibus expetitas, inire unquam voluit. Iusticiæ imprimis, ut subditis bene administraretur operam dedit: in pauperes & virgines, quas suis expensis elocabat, satis liberalis, tandem ut fidelitatem in maritum, & continentiam ostenderet, hanc Hierographiam edidit.

## CELERITATE ET MORA.

Ala orbi applicata celeritatem, ac testudo in adversam ejus partem repens, moram designat. Aquila orbem sustinens utrumque: quantum enim alis festinare cupit, tantum orbis pondere impeditur. Symbolum istud in libris istis frequens, differente Hieroglypto, intellectu non difficile. Hic videtur indicare res graves & politicas, quæ ad orbis imperium spectant, neque citò, neque tardè geri debere, sed instituto prius consilio, quod moram aliquam poscit. Eo præhabito, celeriter quod conclusum est expediendum: alias mora peccatur & celeritate. Mora in rebus bellicis maximè nocere potest: Si enim Rex procul ab exercitu sit, ac consilia ad eum priusquam quid geratur deferri debeant: sæpe rei gerendæ non solum occasio amittitur: sed etiam res perditur. Hoc incommodum ut Romani vitarent, Dictatorem creabant, penes quem summa erat statuendi & imperandi potestas. Idem ægotis accidit, dum morbus sedem figit, priusquam medicus vocetur, & quid agendum sit consultum fuerit. Celeritas, absq; consilio & electione ejus quod optimum est, instituta nocet, quia neque perpendit, neque præcavet, quæ acceleranti obvenire possunt pericula. Rectè itaq; hæc Principissa CELERITATE ET MORA, id est prudentia negotium quodvis geri debere, testatur. Idque verum est non solum in ijs, quæ viro tantum conveniunt, ut declaratum est, sed etiam quæ fœminæ. Nam ad viri ferocis affectus compescendos, ejusque compescendum animum, resque œconomicas rectè ac dextrè à fœmina gubernandas, non minùs quàm in cæteris celeritate, & mora opus est.

OMNIA

## OMNIA FORTUNÆ COM.

## MITTO.

Quis dubitat hunc Principem, dum se triremi & mari committit, omnia fortunæ committere? Externa enim bona, quæ nobis nostra videntur, revera nostra non sunt, sed tantum interna, animi nempe & corporis. Ob id Bias dum patriam egrederetur, interrogatus: cur nullam ut alij suppellectilem secum ferret? Respondit: omnia mea mecum porto. Sapienter: Nihil enim nostrum est, nisi id, quod à nobis auferri nullo modo potest. Hunc Princeps imitatus, dum se Cæsaris dominiq̄ue sui causâ mari committit, inquit: OMNIA FORTUNÆ COMMITTO. Reliqua enim bona externa quæ possidentur, etiamsi ad aliorum manus perveniant, non tamen ideo intereunt, aut fortunæ casus patiuntur. Solus homo is est, qui fortunæ insultus perferre cogitur, & potest. Is si se periculis committat, ut fidelitatem quam suo domino debet, testetur, rectè omnia sua fortunæ committere, asseverat: Nihil enim vita est majus, quàm qui pro domino suo exponit, verè se fidelem esse, ut hic Princeps Symbolo, jactare & gloriari potest.

## IN MORA ET VELOCITATE.

Mora testudine, velocitas navi, & utrumque crescente arbore significatur. In mora & velocitate rerum gerendarum foelicitatem consistere, multis Hierographijs ostensum est: Quicumque enim mora & velocitate negotia, vel publica vel privata agere sibi proponit, prudens est, neque facile errat, aut periculum vel damnum incurrit. Nam mora perpendit pericula, eaq̄ue præcavet, & velocitas antequam quid aliud intercedat, negotium perficit: Multa enim ut inquit ille cadunt infra calicem supremaq̄ue labra, ac cunctatione, res bene perpensæ & deliberatæ, sæpe fructu carent, optatumq̄ue scopum non attingunt, pereuntq̄ue.

## MI TROVO IN ALTO MAR

## SENZA GOVERNO.

Inquit Symbolum: me in alto mari absque gubernaculo perspicio: Hieroglypton Cymbam fluctibus jactatam, absque gubernaculo continet. Voluit proculdubio Mystra ostendere, se in multis & maximis periculis versari, neque omni ablato auxilio scire, quomodo emergere possit. Ut tamen Cymba fortunæ commissa, interdum à fluctibus ad littus projicitur, ac pellitur, ita se non despondere animum, sed fortunæ ita confidere, quod speret ab illa inductum malum, illius beneficio iterum se consecuturum. Fortis enim animi est, dum adversa urgent & præmanibus sunt, ijs non succumbere: sed contra niti ardentius, ac ærumnarum finem sibi brevè polliceri. Tum quòd rei melioris spes, dolorem minuat: tum quòd nullum onus tam grave à numine inferatur, quod non ferat hominis natura: quæ patièdo exercitata, fortitudinis habitum inducit, ac hominem immortalitati consecrat.

## SI TE FATA VOCANT.

Ramus aureus Virgilianus hîc exhibetur, omnium, quæ optari possunt, scopus aut fœlicitas ipsa. Hanc cùm AENEAS quæreret, ac omni studio prosequeretur; responsum Sybillæ accepit, neque virtute, neque vi obtineri, sed fato:

*Si te fata vocant, aliàs non viribus ullis,  
Nec etiam duro poteris convellere ferro.*

Aureus enim ramus, quò honores, divitiæ, victoria, & quicquid desiderari potest, significatur: neque vi, neque ferro abscinditur, aut amputatur, sed fato, id est Dei providentia obtinetur: Vim enim inferenti sæpe resistit, ut demulcenti sese ultrò carpendum obtrudit, si fata velint, hoc est, divina annuat voluntas: Fatum enim Christianis nullum, nisi connectio & ordo rerum à causis necessarijs, vel contingentibus manans, numini solo nota, fatum vocetur. Hanc Christiani fati necessitatem, agnovit Mystra, qui sibi omnia fœlicia, divini numinis ope, ac victoriam contra hostes, quos complures habuit, citra labores pollicetur. Frustraneus enim labor & inutiles curæ sunt, quæ adversus divinitus ordinatam rerum seriem instituuntur. Reprehendendi itaque, qui fata cogere volunt, ac præ alijs chimici, qui aureum illum ramum, aureos proferentem fructus, quem lapidem philosophorum appellant, tot laboribus vigilijs & impensis, ut Cræso ditiores fiant, quærant: Avaris enim quique immensas divitias, tanquam fœlicitatis scopum sibi proponunt, ut neque potentibus, ramum istum ne attingere quidem datur. Imò conatus temeritatem sæpe pœnis expiare debent, dum post immensa studia, ac profusas facultates, senilem ætatem pauperie, morbis, ærumnis ac calamitatibus transigere coguntur: A fumis enim metallorum, ac mineralium, aliarumque materierum exhalationibus, quæ horrendum fœtorem expirant, non parum corpus labefactatur: Eò enim stulticiæ ventum est, ut aureum illum ramum ex excrementis alijsque detestandis rebus, quæ lethalem odorem spirant, elicere conentur. Multi naturam non ferre, ut auri semen haberi, & momento, in igne aurum generari possit, autumant. Alij è contra, quia metallorum simplex admodum est generatio, ac in mineris ex materijs aliquibus aptis & commixtis, agentis vi aurum generatur: extra terræ venas eodem modo generari naturæ opera, & artifice materias idoneas tantùm conjungente putant. Hi nocte dieque student, laborant, vigilant, sumptibus non parcunt, ac nihil intentatum relinquunt, ut voti compotes fiant: sed frustra plerumque, quòd illis solum aureum hunc ramum carpere liceat, quos fata vocarunt, ac quibus Deus tantùm beneficium largitur, ac mentis oculos aperit: ut naturam ducem sequantur, ac rejectis minùs idoneis & sordidis, prolificum semen ab aureo ramo, si aurum gignere velint, elicere aptis instrumentis, aquisve solventibus ejusdem naturæ, ex quibus ramus intrinsecè constat, conentur. Verùm instrumenti materiam, quam omnia metalla in se continent, pauci norunt. Philosophi, chimici, unanimiter omnes  
ita descri-




ita describunt, quòd unicuique quotidie ob oculos sit, apud quemvis hominem inveniatur, in vijs calcetur pedibus, vilissimi sit pretij, ac interdum casu immensi, lapis sit & non lapis, in se contineat omnes colores, in sterquilinijs inveniatur. Terra sit adami, & chaos: quia continet in se quatuor elementa actu, ignem qui cauterij instar urit, aquam veram, lutum, seu terram veram, ac spiritum: Sal etiam ab illis dicitur, & verè salis speciem non solùm habet, sed est. Aqua etiam permanens vocatur: quia ignis injurias perfert, neq; ab eo consumitur, sed purior redditur. Multi putant ænigmaticè, figurativè, aut allegoricè has notas dari, sed decipiuntur: Nisi enim quis materiam præ manibus habeat, de qua omnia ista verè dici possint, frustra laborabit. Hæc enim materia clavis est, qua janua horti auriferi aperitur, ac aqua aureum ramum solvens præparatur: Illa ab eadem radice cum aqua solvente, & aureo ramo manavit. Verum ut Mysta ait, nemo fructum carpit, nisi quem

fata vocarint. Hæc in gratiam chimicorum, qui auri

sacra fame tenentur paulò uberius,

ut tandem satiari possint,

tractavi.



DVCEs PRINCIPES MARHIONES TOTIVS ITALIÆ

Clauulus de Landò, Vallis terre Princ  
in Bardio Marchio et Compl. Comes

Friedericus de Landò Vallis terre Princ  
in Bardio Marchio, et Complani Comes



Ferdinandus San Severinus, Princeps  
Salerni Generalis Caroli V. Imper :

Felix Princeps Salerni, Generalis  
reg: Arragonie et Neapoli



Joannes Petrus Caraffa Princeps  
Stigliani :

Joannes Caracciolus, Princeps  
Melfi.



## ULTIMUS ARDOR.

Princeps iste, cùm multa ab inimicis suis perpeſſus, bonisq̃ue ferè omnibus ſpoliatus eſſet, unaq̃ue tantùm ditio, ac ab inimicis laceſſita, illi ſupereſſet, nullibiq̃ue ferè tutus vivere poſſet, hanc Hierographiam in lucem emiſit, qua ſe nudum trabibus ardentibus inſiſtentem, ac ſagittam fractam manu tenentem exhibet: Sic enim ſe omnibus denudatum ac ſpoliatum, teloq̃ue fracto, ſub nullius tutela ſecurè vivere poſſe, & quodammodo deſenſioni ineptum eſſe, ac jam ultimum ignis ardorem, id eſt, extremum ſui interitum expectare, oſtendit. Vulgo nota iſtius Principis adverſa fortuna & cauſa illius, quas hîc detegere nolo, ſufficiat lectori Hierographiæ expoſitio.

## ATTAMEN CONSTANS.

Obeliſcus à fluctibus, ventis, ac fulminis telis oppugnatur: **ATTAMEN** non deijcitur, ſed **CONSTANS** manet, ac in ſignum victoriæ laurea corona coronatur. Obeliſcus Myſtam notat, qui varijs fortunæ caſibus agitatus, ejuſq̃ue tela perpeſſus; nihilominus non ſolùm magna animi conſtantia & fortitudine quævis discrimina pertulit, ac nullum puſilli animi indicium oſtendit: ſed etiam illæſus hæctenus conſtitit Suſannæ exemplo: Quæ à ſenibus falſò adulterij accuſata, ac in ſummum vitæ periculum conjeſta, Deo Opt. Max. innocentiae propriæ teſtimonio confidens, ac extremam ignominiam, crudeliſſimumq̃; mortis genus expectans, tandem divino per Danieleſm iudicio, ab ignominia, & periculo liberata fuit, ac de accuſatoribus triumphavit, & in coſtalionis legem, mortisq̃ue ſupplicium tranſtulit. Nihil fanè prudentius, quàm adverſa ferre, deſpicere, nihilq̃ue facere, ac ita animum ſemper promptum inſtructūq̃; habere, ut num quid mali, aut boni illi contingat, id neq̃; animus ipſe, multò minùs alius quiſpiam percipere poſſit. Si mala contingant, ſperanda meliora, ſi bona metuenda adverſa, iudice Horatio:

*Sperat inſeſtis, metuit ſecundis*

*Alteram ſortem, bene præparatum*

*Pectus.*

Ita quaſi ponderibus inæqualibus, in æquales lances ad æquilibrium rediguntur, & quòd uni deeſt prudentia ſuppletur, quòd alteri ſuperfluum eſt, virtute demitur.

## OFFICIUM NATURA DOCET.

Ferdinandus Princeps Salernitanus, cùm à Marchione Vaſtenſi admoneretur, ut Senæ delicias, ubi gubernatoris munere fungebatur relinqueret, ac ſecum ad bellum Pedemontanum proficiſceretur, reſpondebat: ſpiritum quidem promptum eſſe, carnemq̃ue non infirmam, ſed à nemine conductum eſſe, alludens ad Euangelij verba: Nemo nos conduxit, Quod reſpõſum cùm audiviſſet Marchio, illum Magiſtrum ſupremum celerū equitum ad bellum Pedemontanū creavit. Ad quam expeditionē, cùm poſceret Hierographiam à Iovio vexillis militaribus impingendam, &

Marchio

Marchio magistro equitum, audaciam, liberalitatem ac vigilantiam convenire diceret. Iovius Marchioni respondit: illum neque liberalitatis neque audaciae, quod prius illas virtutes à Marchione didicisset, neque etiam vigilantiae commonendum esse; quia consueverat quotidie ante lucem surgere, tum ut citò à lecto se liberaret, tum ut venationibus operam daret. Quia tamen vigilantia partim hostium doli, & machinationes illuduntur, ac eadem in infidias perducuntur, & circumveniuntur. Rectè Iovius illi vigilantiae notam, gruë exhibuit, quæ Hieroglypton constituit, ac altero pede elevato lapillum continet. Grues namque NATURA DOCENTE, dum maria transvolitant, ut Plinius refert, lapillos pedibus tenent, ut somnum impediunt: Si enim jam dormituriant, ac somnus irrepat, resolutis pedum nervis, decidit in aquam lapis, ac strepitu somnum solvit, gruesque vigilantes iterum reddit. Vt gruibus hæc à natura documenta data sunt: ita huius Principis NATURA ad vigilias propensa OFFICIVM DOCET.

### AMOR ADDIDIT.

Mora in Hieroglyphicis plerunque testudine signatur, quòd lentum sit animal, proprio domicilio, scutoque satis compacto & gravi tectum, quo à natura armata est, ut inter rupes, ubi commoratur, tutò degere posset. Verùm hinc alata & in aëre volitans conspicitur; mirum sanè spectaculum: sed non mirum, si quis Symbolo intelligat, amorem addidisse alas. Magna siquidem amoris vis est, qui sæpe ea, quæ difficillima, & fieri non posse videntur, facillima facit. Idque verum, siue quis rerum terrenarum amore, siue cœlestium capiatur. Rerum terrestrium amor multiplex, alius corporum, alius rerum externarum, alius eorum quæ ad ornatum animi spectant. Quid corporum aut carnis amor possit, & quanta pericula superet, ut re amata potiatur, cuius facilè notum est. Quas difficultates divitiarum amor aggrediatur & conficiat, testatur versus:

*Per mare per terras currit mercator ad Indos  
Peuperiem fugiens.*

Gloriæ, doctrinæ & virtutum amor, non minùs cæteris alatus est: labores maximos & graves, minimos & leves, ut optatis fruatur, efficit. Verùm præ cæteris amor ille, qui terrestria omnia despicit, ac cœlestia tantùm cupit, is divini amoris alis adjutus ac instructus, compos desiderij tandem fit; Ijs namque sublevatus in cœleste regnum, immensis hinc distans intervallis, defertur.

### SI PERDIDISSEM UNA SOLA MIHI REDOLERET.

Manipulum florum Hieroglypton exhibet: Flores existimo ditio- nes, arces, aut civitates quas Princeps habet, significare: quarum singulæ, Symbolo innuente, tanti sunt momenti, ut omnibus amissis, una sola superstes, ad beatè, commodèque vivendum Principi sufficere possit: Proinde avaritiæ ac ambitioni se nequaquam deditum esse. Avaris enim  
& ambi-

& ambitiosis nihil sufficit, cùm semper egeant ac semper aliquid desit. Ut ob id vere pauperes & miseri dici possint, etiamsi alijs immensas habere divitias aut magnis ornati dignitatibus videantur. Nemo siquidem nisi indigentiae ratione, & eorum quae desunt respectu, pauper et miser est. Avaris autem ac ambitiosis innumera perpetuò deesse notissimum est. Dum enim aedes habent praedia cupiunt: dum praedia pagos: dum pagos, civitates: dum civitates, provincias: tandem regna & imperia desiderant. Ira ut nunquam expleri eorum cupiditas, & ambitio possit, ac semper ut optata consequantur, se excarnificent. Inter hos qui proprium defraudant geniū nec ijs, quae corpus ut bene valeat, possunt, utuntur: omnium sunt miserrimi, pauperrimi ac imprudentissimi, quòd alijs non sibi cumulent. Si interrogas, cur vigilent, laborent, curis se angant, necessaria corpori detrahant, fœnore conscientiam gravent, ac injustè aliena ad se rapiant, cùm jam fortassis parum vitae supersit? Respondent se necessitati providere, ac liberis omnia quærere. Si iterum roges an velint, liberi utantur & fruantur à se partis divitijs? annuunt: Sed imprudenter, quòd, ut liberis voluptatis occasiones dent, ac genio, voluptatiq̄ue ad libitum indulgere possint, ipsi se crucient, gravissimaq̄ue peccata committant. Si bonum est uti divitijs, tu ipse illis utare potiùs quàm alij, ac liberis solummodo tantùm relinque, quantum, si frugi esse velint, illis ad acquirendum & vivendum sufficiat. Si multa liberis reliqueris, perdent se, & sua, neque comparandis ad vitam necessarijs dabunt operam. Si parum reliqueris, ac bonae fuerint indolis, non deerunt emergendi, & acquirendi occasiones, si malae, ac prodigijs indigni divitijs, & te illorum causa tantos labores suscepisse, imò obulum illis reliquisse. Ut autem privato, avaritia turpis est, ita Principi, aut potenti fordidissima, quòd illius causa omnium odia incurrat; nemo illi benè velit; nemo officium praestet; ac quilibet illum tanquam generi humano inutile & noxium pecus, excretur. E contra nihil potenti vel principi laudabiliùs liberalitate, qua bene de se meritos beare potest, & debet: Ipsa etiam liberalitas per se jucundissima est ei, à qua exercetur: Amicos enim parit, homines ad omnia officia paratissimos facit, ac sui studiosum, maximo gaudio & honoribus afficit; Vix enim gratiùs quicquam esse potest, quàm multis posse benefacere, ac multorū animos possidere, qui facillè liberalitate emuntur. Hæc omnia hunc Principem diligenter perpendisse non est dubium, ac propterea Symbolo dixisse: SI PERDIDISSEM, supple ferè omnes, VNA SOLA MIHI REDOLERET: id est, sufficeret ad beatè commodèque vivendum. Homini enim neque avaro, neque ambitioso pauca sufficiunt, ut commodè ac honestè vivat. Si quis floribus amicitias, vel amicos intelligere velit, non male Hierographiam interpretabitur. Fortassis enim Princeps dum fortuna secunda esset, multos, ut fieri solet, amicos habuit; qui, dum vela vertere fortunam animadverterent, inconstantiae signa, parumq̄ue fidelis amicitiae notas, uno excepto (qui cæteris constantior fuit), dederunt. Hunc unum sibi fidelem, si celebret & colat, alijsq̄ue omnibus amissis, praeferat, ac sibi redolere aut placere, asserat, mirum non est. Cùm paucorum, quàm multorum amicitia, firmitior ac sincerior sit: Imò Aristotele teste, vix integra inter plures, quàm

duos consistere potest, quòd amantis cor neque dividi, neque pluribus sed uni soli tantùm integrum dari possit.

### CONFICERE EST ANIMUS,

Quid face ardenti indicetur, difficilè est conjectu, fortè Myrta hostem aliquem habuit summo loco constitutum, facisque ardentis instar, omnibus publico aliquo munere conspicuum: quem, quia loco indignum putavit, & ob privata odia, etiam de loco deicere, & plane conficere sibi proposuit, non secus ac gladius hìc facem amputare velle videtur. Sed si fortè indignum videatur, hunc Principem parum Christianum habere propositum, poterit Hieroglypton commodiùs, de publicis & non privatis hostibus intelligi, quos igne & gladio CONFICERE illi EST ANIMVS. Face enim, id est, igne, ac gladio hostes terrentur, & conficiuntur. Quicunq; bonam gerendi belli causam habet, is prudenter facit, si hostes gladio ac ferro adoriatur, insequatur, & conficiat. Qui enim parcit hostibus, ac non satis severe bellum gerit, ac cùm conficiendi datur occasio, non conficit, ille serpentem alit in sinu: qui resumptis viribus, hosti suo non parcet, sed crudelius acceptum dedecus & cladem vindicabit, ac rependet. Id teste Livio, Sabinis contigit. Cùm enim Romanos exercitus duos consulares in furculas Caudinas traxissent, jamque saltibus angustiisque locorum occupatis, Romanis neque fugiendi, neque pugnandi daretur locus, & victi omnes deleri absque gladio possent. Sabinis in tam latis rebus non suppetabat consilium, ac neq; dimittere Romanos liberos, neque penitus perdere, volebant; sed tantùm sub jugum missos, cùm ignominia domum mittebant. Quamobrem domum reversi Romani, resumpto in Sabinos bello, eos (à quibus deleri omnes poterant) debellarunt, sibiq; subjecerunt; ita ut Sabini meritis imprudentiæ pœnas dederint: Moniti enim erant priùs, ut vel liberos dimitterent Romanos, hacq; benevolentia perpetuam amicitiam stabilirent, vel omnes conficerent, quòd intra centum annos vix se iterum restituere possent;

Verùm Sabini alio consilio ignominiosè Romanos dimiserunt, quo neque amicos fecerunt, neque inimicos sustulerunt. Prudentiùs itaq; est conficere hostem.



PRINCIPES MARCHIONES TOTIVS ITALIAE

Julius Cijbo Marchio Massæ  
Dus: Carariæ

Franciscus Cijbo Malaspina  
Marchio Massæ



Albericus Cijbo Malaspina S. Rom Imper  
Princeps et Massæ March: Carariæ



Albericus Cijbo Malaspina S. Roma  
Imp. Princ: et Massæ March: Carariæ

Philippus de Lanoi Princeps Salomonæ  
Eques Awei Velleris



## VON GUET, IN BESSER.

id est:

## DE BONO, IN MELIUS.

DE BONO IN MELIUS inquit Symbolum: Hieroglypton depingitur vase ardente; ut itaq; vas, & præcipuè pice illicitum, dum cepit ardere paulatim vehementiùs ardet, ita illius exemplo Princeps indicare vult, se virtutis desiderio inflammari, ac indies virtutibus principe viro dignis, ita proficere velle, ut postea ignis instar omnibus illustris & conspicuus fiat. Quemadmodum enim ignis tenebras omnes depellit, seq; conspicuum per densissimas tenebras facit: ita virtus vitia omnia delet, alijsque rebus omnibus præluet. Virtutes autem principe viro dignæ præcipuæ sunt, iusticia, liberalitas & fortitudo. Iusticia, Princeps unicuique suum tribuit, probos tuetur, improbos punit, ac leges æquas condit. Liberalitate, benemeritos remuneratur, miseros iuvat, ac subditorum benevolentiam sibi conciliat. Fortitudine, adversa perfert, hostes, ac difficilima quæque superat. His virtutibus principes se exercere debent, ut DE BONO IN MELIUS proficiant, ac tandem habitum virtutis sibi comparent.

## DI BEN IN MEGLIO.

id est:

## DE BONO IN MELIUS.

Eadem prorsus Hierographia cum proximè præcedente, sed alterius Principis: Fuit enim iste Comes Angvillaræ, ac se non minùs virtutis desiderio inflammari quàm prædecessores, & quotidie in meliùs proficere velle, ostendere voluit. Quod revera præstitit: nam virtutis amator illustriumque familiarum cultor fuit: Inprimis autem familiam Medicæam conjugis gratia coluit: Habuit enim uxorem Magdalenam Laurentij Medicei filiam, Sororem Ioannis Medicei Cardinalis, qui postea Papa Leo decimus vocatus fuit. Filius istius Francisci à Leone Decimo Cardinalis creatus fuit. Cùm autem Papa illi Cardinalatus dignitatem largiretur, ac coccineum illi imponeret pileum, hæc verba dixisse fertur. Innocentius Cybus mihi dedit, nunc autem Innocentio Cybo restituo: Quibus verbis innuebat se illius familiæ favore & opera, ad dignitatem illam pervenisse, ac acceptam gratiam agnoscere & reddere.

EN KYBΩ EYXARIS-  
TIA, id est: IN CUBO GRATITUDO.

In cubo inquit Mystographus gratitudo: Græcum est Symbolum, cuius vocabulum cubo, respondet familiæ cognomini Cybo, licet illud aliter Latinè pronuncietur, Græcè enim per ypsilon scribitur. Symbolum luculenter testatur familiam hanc Græcam fuisse, uti etiam tota Hierographia; quæ olim ab Arone Cybo nummo expressa, ædita fuit, cum Nea-



cùm Neapolitanis, Renato Andagavensi tenente regnum, in subsidium, instructo navali exercitu, & comeatu venisset. Origo autem huius Hierographiæ à quodam viro Græco illustri est, qui dum Palæologi imperium orientis tenerent Genuam habitatum venit; Eo enim tempore Genuenses, Peram, Tyrum, Ptolomaidem, Nigropontum, Pontum, Cyprum, Tauricam Chersonesum aliasq; innumeras provincias sub suo imperio habebant. Ex ijs complures familiæ nobilissimæ Genuam se conferebant, ob urbis elegantiam, splendorem, gentisq; humanitatem. Inter cæteras autē nobilissimas familias quæ eò venerunt hæc fuit, quæ à cybo nomen retinuit: quæque postea in varias Europæ partes se transtulit, ac ad pontificatum pervenit. In Hieroglypto cubus spectatur, ac ciconia illi insistens, gratitudinis nota. Ciconia enim parentes suos, beneficiorum acceptorū non immemor, senescentes alit & nutrit, ac hospiti, à quò commorationis & nidificandi beneficium accipit, veris præsentis delicias annunciat, quòd zodaico designatur. Vt itaque ciconia grata est benefactori, ita Mysta eius exemplo, se benemeritis non minùs gratum esse velle, & fore, ostendit.

### ALIIS SPRETIS TE SOLAM.

In hoc Hieroglypto multæ stellæ circumcirca, templumq; in cuius medio candela ardet conspicitur: Ad hanc proculdubiò Mysta Symbolum dirigit, dum ait: ALIIS SPRETIS TE SOLAM, supple cupio, sequor veneror ac adoro. Verùm quid templo & candela notetur dubitari potest. Ego Ecclesiam veram & Catholicam (quandoquidem Hieroglypto ecclesiæ vel templi forma exhibetur) quæ candelæ, vel facis instar, alijs stellis omnibus, id est, falsis opinionibus & hæresibus præluet, significari puto; Cùm hac enim comparatæ instar stellarum sunt, quæ videntur quidem, sed nullam, à se lucem mittunt. Hanc Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam qui sequitur, non errat, quia columna, & firmamentum veritatis est, ex unione fidelium constans, ac per varias orbis partes dispersa. Hoc proprium ejus est Hilario teste, ut dum persequuta est, floreat; dum opprimitur, crescat: dum contemnitur, proficiat: dum læditur, vincat: dum arguitur, intelligat: ac tunc stet, cùm superari videtur. Hanc Mysta Ecclesiam, cæteris spretis, sequendam sibi rectè proposuit.

### KAI EXOMEN EN K F B Ω, id est: ET HABEMUS IN CUBO.

Latine ait Symbolum, & habemus in cubo, alludens ad nomē familiæ: Cubus Geometris corpus est sex superficierum, ad angulos rectos quos ortogonios vocant constitutarū, Latinis tessera dicitur. Quidnam igitur in cubo est? Puto Mystam significare constātiā esse, qua maiorum & antecessorum virtutes imitari velit. Cubi enim constitutio talis est, ut positus aut jactus, dum resederit, non facile ab externa aliqua re dimoveatur, sedemve variet aut mutet. In hunc ciconia gratitudinis index, quòd parentes decrepitos alat, & hospiti suo imminens ver prænunciet, pedibus

insistit; Gratiudinem sibi Mysta etiam perpetuò, ciconiæ exemplo, colendam proponit. Vtrâque virtutes principibus viris maximo non solum ornamento, sed emolumento: Constantia enim superantur difficilima. Gratiudine omnium nobis subijciuntur, ac devinciuntur animi, ac utraque virtute, honor, gloria, divitiæ & potentia acquiruntur. Zodaicus porro Hieroglypti, quia Solis via est, tēpus designat, quod ciconia ut migret, advoletq; observare, si veris vel autumnus nuncia esse velit, cogitur.

## IOVO DIETRO A QVEL CHE

M E A R D E.

Cernitur in hac Hierographia candela ardens, ac tinea vel blatta potius, ad candelæ lucem volitans, adjuncto Symbolo Italico, quod Latinè ita redditur: ME QVOD VRIT, INSEQVOR. Verisimile est, hunc Principem virginem, aut mulierem quandam deperisse, ipsiusque aspectu carere non potuisse, ac propterea amoris flammis flagrantem, proprii cruciatus sibi ipsi causam dedisse: Hæc enim amoris vis est, ut quò propiùs rem amatam accedat amans, majori rei amatæ desiderio, ut ea potiatur, flagret: Si que potiri ea fas non detur, amoris igne exardeat, consumatur ac tabescat; sibi que ipsi necis causa fiat. Hunc animi sui affectum & cruciatum Mysta amasiæ, hac Hierographia indicare voluit. Possumus aliter etiam explicare, ac Principis istius fidelitatē blatta demonstrare: Inservivit enim Philippo Hispaniarum regi fidelissimè, suoque damno ac incommodo, communi aulicorum fortuna; quæ talis sæpe est, ut quò fidelius Principi suo inserviunt, ac quo magis illis sunt familiares, eò etiam citius illorum indignationem, ob minima peccata, incurrant, ac seipsos dnm frui Principis familiaritate volunt, præcipitent, perdantque; ut blatta; quæ dum luci nimis se fidit, ab ea exurit. In aulis itaque tutius est non nimis prope Principis intueri faciem.

Leonora Doria della Noia  
Principissa Sulmonæ Philip. xxiii

Constantia Carrotta Principissa  
Sulmona etc



Aristotle Stagiritta Princeps  
Philosophorum.

Bonifacius ii S. Rom Imper  
Princeps et Vicar March. Montis Ferrv



Guilhelmus iiii Longospada Mar  
Montis Ferratis viii.

Bonifacius iiii Marchio Montis  
Ferratis ix.



## ALTA ALATIS PATENT.

Iobates cùm Bellerophonem innocentem interficere iussus fuisset, id facere noluit, sed pœnæ loco, periculum imperavit Bellerophonti, ut Chymeram occideret. Erat autem Chymera quæ flammam evomebat, adeò terribilis, ut cum ea pugnanti, nihil aliud quàm præsens exitium præstò esse videretur. Proxima enim quæque comburebat, igne devastabat, pecoraque interficiebat. Verùm Dij cognita Bellerophontis innocentia, ejus miserti Pegasus alatum equum, natum è Neptuno, & Medusa, vel ut alij maluerunt, è sanguine Medusæ, dum eius caput à Perseo cederetur, illi dederunt. Quò vestus Bellerophon, Chymeram occidit, ac innocentia ejus cognita, à Iobate regni successor institutus fuit. Sed Bellerophon (quale est ingenium plerisque mortalium) tanta rerum felicità nimium elatus, in cœlum quoque ascendere insidens Pegaso voluit. Verùm tantam arrogantiam Iuppiter deprimendam esse ratus: æstrum illi equo immisit, ut Bellerophon in terram præceps deturbaretur, ac Pegasus nunc sublimis, nunc depressus per aëra volans, in cœlum tandem rediret. Quem cùm vidisset Aurora, impetravit à Iove ut ab eo vesta, quotidianum cursum conficeret. Ad fabulosam hanc poëtarum historiam, quæ ab Hesiodo describitur spectat Mytha, dum animum suum alta, & sublimia petere Pegasi, exemplo, & figura ostendere voluit. Animus enim hominis verè alatus est, cùm cœlos omnes & quicquid in toto universo est, penetrare, & superare momento possit: Huic nihil occultum, abditum & occlusum est, sed omnia patent: Hujus beneficio non solum planetarum & orbis motus, magnitudo & distantia, investigatur, & percipitur. Sed etiam quæ supra firmamentum sunt, ac æternam & beatam, teste Aristotele, degunt vitam, intelliguntur, & cognoscuntur. Rectè itaque Symbolum ait ALTA ALATIS PATENT.

## NEC CITRA, NEC ULTRA.

Metas multi antiqui authores existimant, pyramidis forma fuisse, planaque superficie: verùm errant, quòd turbinis instar fuerint, Plinio teste lib. 2. nat. Histor. cap. x. ubi scribit noctem nihil aliud esse quàm terræ umbram, figuram autem umbræ similem metæ, ac turbini inverso, cuius figura semper in mucronem desinat. Turbo autem seu trochus rotundus est, & pueris notum instrumentum, Virgilio teste:

*Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo  
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum  
Intenti ludo exercent.*

Metæ tres quadrato lapidi, ac mucronibus illorum, ova imponi solebant, quæ Castoris & Pollucis ova repræsentabant. Ita aptabantur, ut auferri secundum certantium, ac currentium leges possent. Hujusmodi metas duas Hieroglypton habet; tres enim turbines qui lapidi impositi sunt, pro una meta accipiuntur ab authoribus, uni ascriptum est: NEC CITRA. alteri: NEC ULTRA. Quibus indicare hæc Principissa voluit: cuius matronæ nihil magis in rebus omnibus convenire, quàm mediocritatem: Hæc enim virtutis meta est; hanc si excesseris in vitium rucs,

rues, si non assequutus fueris peccabis: Virtus enim ut vulgò dicitur, in medio consistit, & verè res ita se habet. Nam inter prodigalitem & avaritiam, virtus est liberalitas; inter temeritatem & timiditatem fortitudo: inter sorditiem & pusillitatem, magnificentia; inter superbiam & pusillanimitatem, magnanimitas; inter animi abjectionem & ambitionem, modestia; inter iracundiam & stoliditatem, mansuetudo; inter placidum & contentiosum animi affectum, affabilitas medium tenet: inter jactantiam & mendacium veritas: ac inter rusticitatem & scurrilitatem, comitas: ita ut in rebus omnibus, mediocritas, quæ & locum, & personam, & tēpus, ac occasionem rei gerendæ, id est, decorem observat, virtutem pariat. Hanc itaque eleganter hæc Principissa sibi proposuit.

### ARISTEIA, id est, STRENUITAS.

Hanc Hierographiam ab Aristotele summo philosopho, & primo naturæ interprete inventam esse, vix credo; aliquid tamen Figura antiquitatis præ se fert, ac ex antiquis Aegyptiorum Hieroglyphicis desumpta videtur. Symbolum, quidnam figura significet, indicat: Græcè ait: ἀπιστία, id est: strenuitas; fuit fortassis aliquando strenuitatis Glyptō, propter adjunctos pedibus duos venaticos canes, quorum strenuitas, dum in venatione officio suo strenuè perfunguntur, nota est. Strenuitas porro, circa res gerendas versatur; quæ si diligenter magno animo, neglectoque omni periculo & mora gerantur, strenuè geri dicuntur. Hac virtute Aristoteles valuit, dum tam strenuè philosophiæ omnibusque scientijs operam dedit; ut non immeritò tot coronas, quòt figura continet, consecutus & meritus fuerit. Discipulus etiam ipsius Alexander Magnus eadem virtute ornatus fuit, ejusque beneficio multa regna acquisivit, & coronas adeptus est, quæ strenuitatem, tanquam umbra corpus, sequuntur. Suprema verò, ac capiti imminens Hieroglypti corona, ἀριστον, id est, optimum & summum illud bonum designat, quòd Aristoteles agnovit ac coluit, quilibetque Christianus summo studio, ac strenuè, ut id adipiscatur persequi debet.

### CAUTIUS.

Bonifacius iste, dum cum hostibus configere deberet, & nimis properans in tentorio galeam, qua caput semper pugnaturus munire solebat, reliquisset, detectoque capite nudus cum suis in medios hostes irruisset, vulnus in capite, satis periculosum dicitur accepisse. Quia verò periculum averti galea potuisset, propterea se CAUTIVS ac prudentius vitæ corporisque tationem habiturum, hac Hierographia, (in qua galea cum Symbolo CAUTIVS depingitur) ostendit: Proprio enim periculo quivis prudentior fit, hinc proverbium: Piscator ictus sapit. Qui suo periculo non sapit, stolidus est, aut imprudens, omnibusque injurijs, periculis & damnis exponitur: Prudentia enim circa pericula versatur, ac is, qui ea quantum potest vitat, prudens dicitur: neque enim omnia & quævis vitari possunt. Quæ præter opinionem incidunt, prudentiæ habitum non tollunt, cum illa consilio & electione præhabita, ejus quòd optimum factu est definiatur,

definiatur, etiamsi effectus infœlix, & non prævisus sequatur: Hæc enim rerum, circa quas versatur prudentia, natura est; ut casu & propter rei alterius interventum, sæpe mutantur. Consilium ejusq; anima, recta ratio, rerumq; discursus, prudentiam non eventus facit: Multa enim prudenter, tum in rerū gubernaculis, tum in rebus bellicis sæpe instituuntur, quæ tamē fœlici carent exitu, non consilij, sed rerum incidentium vitio. Hæc vulgus latent, quod ex rerū eventu consilia ponderat, ac mala omnia illa, quæ fœlice fine carent, judicat. Sapientes viri aliter sentiunt, ac consiliū non eventum perpendunt, Phocion, cū Athenienses rem aliter atque ipse svaserat, prosperè administrassent, adeò perseverans consilij sui propugnator extitit, ut in contione lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquantò melius fuisse diceret. Non enim damnavit, quòd rectè viderat (quia quòd alius malè consuluerat, benè gesserant) fœlicius illud existimans, hoc sapientiùs.

### UTRUMQUE.

Nuda muliercula utramque arborem & aridam, & siccam arripit, ac ab utraque ne vacillet, aut decidat, sustentatur. Verisimile est Myrtam, muliercula, se, vel statum suum indicare, quem talem esse vult, ut non solum à potentibus, sed etiam à plebe sustentetur: Vbi enim harmonia hæc in republica est, ut Princeps æqualitatem Geometricam inter suos conservet, plebiq; quæ plebi, optimatibus, quæ optimatibus conveniunt, relinquat, ab utrisq; fulcitur ipsius imperium, securèque regnat, neque facillè tumultus, aut reipublicæ mutatio fit; quæ sequi solet, dum altera pars negligitur, alteraq; nimis colitur: Tum enim neglecta, flocci que habita, omnia in republica sursum deorsum movet, ut pristinum statum, & antiquam libertatem recuperet. Potest etiam muliercula nuda, mentem seu animum Principis, ejusq; virtutem, constantiam seu fortitudinem, qua *UTRUMQUE*, id est, malam & bonam fortunam æquè ferre potest, indicare: Id enim constantis fortisq; animi officium, & munus est, teste Horatio:

*Fortissimus ille est,  
Qui promptus metuenda pati.*

Et Cicero 2. de Oratore: Magna laus & admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse adversa fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Ut autem qui magno animo est, atque forti, omnia quæ cadere in hominem possunt, despicit, & pro nihilo putat, ita & is, qui rebus secundis non insolescit: Vir enim fortis & constans, ea, quæ eximia plerisque, & præclara videntur, parva ducere, rationeque stabili, & firma contemnere debet, & ea quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à statu naturæ, nihil à dignitate sapientis decedat. Inquit Horatius:

*Rebus angustis animosus, atque  
Fortis appare, sapienter idem,*

*Contrahes*

*Contrahes vento nimium secundo  
Turgida vela.*

Hæc itaque qui facere potest, verè fortis & magni animi est.

HIS ARTIBUS.

Hieroglypton arcum, pharetram, ac clavam exhibet, quæ militaria sunt arma. His tanquã artis militaris instrumentis Gnome testante, Myſta se gloriam & laudem quærere velle, videtur. Vt enim olim arma tractare artis erat, ac Romani sæpe arte militari potius quàm vi, & potentia hostium longè numerosiores exercitus fuderunt ac superarunt; atque ita laudem & gloriam immortalem sibi pepererunt: ita & hodie armorum dextra aptaque tractatio, artis esse statuitur, illique qui ea regere, beneque tractate possunt, non infimam laudem & gloriam consequuntur, longeque majorem merentur si rempublicam, patriamve defendant, maximamque si ab hostibus liberent. Hanc artem qui novit, suorumque commodo exercet, statua dignus est, ut immortalitati consecratur, posterisque bono exemplo sit. Tales complures apud Romanos, nostroque ævo ijs qui hanc artem calluerunt, & foeliciter exercuerunt extractæ fuerunt. HIS itaque instrumentis seu ARTIBVS militaribus Myſta sibi laudem & gloriam parere vult.



Anna Marchionissa Montis Ferratis  
Bonifacy uxor.

Guilhelmus V. Marchio Montis  
Ferratis X.



Bonifacius III. Marchio Montis  
Ferratis XI.

Guilhelmus VI. Marchio Montis  
Ferratis XII.



Joannes Iustus Marchio Montis  
Ferratis ultimus XIII.

Alphonus Marchio Estensis Dominus  
Montechij. Fr. Duc Hercul. II. Forra





## FIDES MAIORA FACIT.

Inter Hieroglyphias, insignem præ alijs ingenij dexteritatem foeminarum ostendere videntur. Hæc profectò, si quæ alia non parum elegans est, qua discrimen ponitur, inter ea quæ à natura sola, ac quæ numinis ope fiunt. Spectatur enim aridus olivæ arboris ramus, sacræque columba, ramusculum rostro arripiens, ac folia viridia suo tactu inde producere. Sacræ columbæ figura, Spiritus sanctus, tertia Trinitatis persona, designari solet, quòd alias columbæ forma apparuerit. Hunc non solum majora facere, quàm natura possit, cuius Christiano constat: Sed etiam eum (ut Mystæ sensum explicem) qui illi ita firmiter fidit, ut credat ipsius opẽ sibi non defuturam, si quid natura majus tentet. Hujusmodi confidentia & FIDES sæpe MAIORA FACIT, quàm natura ipsa: teste ipso Salvatore, qui ait: Si fidem habueris ut montes transferas, transferentur. Sic Anna in senectute ac extra concipiendi ætatem provecta, fidens Deo concepit & peperit; Thobias similiter Saræ (licet septem viri illi accubantes, periissent) divino auxilio fidens, se credidit, ac nihil incommodi passus fuit. Quantum autem possit fides ea, in qua divinum auxilium non apparet, & quam sæpe, quæ rerum naturalium vires superare videntur, efficiat, Philosophis ac Medicis constat; qui hujusmodi fidem cum imaginatione confundunt, atque in morbis, & prægnantibus præcipuè elucet. Non rarò enim, propter ægroti in medicum, vel pharmacum fiduciam, morbus superatur & depellitur. Fiducia enim vel fides, cordis spiritus & sanguinem movet, agitatque, ac motione illius, calorem, nativum sopitum, ac nimia quiete, marcescentem excitat, qui recuperandæ sanitatis fundamentum esse potest. Prægnantes etiam quid fide, & imaginatione in foetum possint, cui fructus appetitos, in ea corporis parte, quam volunt, insculpunt, vulgo notum est. Itaque propositum hujus Principissæ est, Deo Opt. Max. fidere, & omnia sua committere; quòd ea quæ fieri non posse, ac præter naturam videntur, illius ope, qui steriles foecundas efficere, & majora quàm natura facere possit, perficiantur.

## UNDIQUE FRUSTRA.

Pyramides in Aegypto regum pecunias ostentabant, ac illarum ædificatio instituebatur, ne pecunia ad successores aut insidiantes æmulos perveniret, neve plebs ociosa esset. Præcipuæ tres sunt, quæ orbem implevere fama, sitæ inter Memphim oppidum (nunc Alcairum vocatum (& Delta insulam, à Nilo minùs quatuor milia passuum, à Memphi sex ad vicum Busirin, Pyramidem maximam trecenta sexaginta hominum milia, annis viginti construxisse, produntur, atque in Raphanos, & Allium, ac cœpas mille octoginta talenta dicuntur, operarijs erogata. Ampliflima octo jugera obtinet soli, quadrata, cujus unum latus habet octingentos, & octoginta tres pedes. Multi putant monumenti & sepulchri causa fuisse extructas, utque eorum, quorum jussu extructæ sunt, æterna esset memoria; quemadmodum illæ æternæ nulloque seculo perire, aut destrui posse videntur. Tanta enim lapidum moles cui accedit forma in mucronem as-

Q

surgens,

surgens, seipsam proprio pondere sustinet, ac neque in se, neque extra machinam ullo vento, aut procella concuti, multò minùs deijci potest.

A Pyramidis itaq; firmitate & constantia Mysta Hieroglypton desumpsit, ac pyramidis instar, quæ neque ab aquis, neque ventis concuti aut deijci potest; se à nullis adversitatibus, aut hostibus frangi posse: sed semper animum constantem habiturum, ostendit. Proinde omnes hostium, & inimicorum insultus, & impetus frustraneos fore, ut pyramis in figura VNDIQV:E FRVSTRA à vento & mari impetitur.

### IN HOC VINCES.

Nicephorus narrat, Constantinum Magnum in bello contra Byzantinos, cùm jam bis victus esset, signum crucis in cælo hac inscriptione vidisse: IN HOC SIGNO VINCES HOSTES OMNES, idque postmodum sic accidisse, ac eum in bello contra Schytas tertio crucem illam vidisse. Ab hac historia verisimile est, Principem istum Hierographiam hanc sumpsisse. Vtpotè qui auxilium hujus signi, divina ope juvante, in rebus adversis, vel hostium oppugnatione sensit. Nec mirum, cùm hoc signo inferorum Princeps cum omnibus suis devictus sit, genusque humanum ab ipsius jugo liberatum. Hoc signum Aegyptij inter Hieroglypticos characteres, pro signo vitæ futuræ habuerunt, cujus rationem nullam sciebant, quàm quòd certum aliquod divinum mysterium, in hoc signo latere crederent. Character etiam illius pectori Dei Serapidis erat insculptus. Isidoro etiam referente antiqui cum numerum eorum, qui cæsi, vel salvati in bello essent notarent, mortuos litera  $\theta$  figurabant, & superstites litera  $\tau$ . Achonius Pedianus narrat, olim cùm è judicijs venirent accusati, Damnatos litera  $\theta$ , & absolutos litera  $\tau$  fuisse notatos. Est itaque crucis signum salutare, victoriæque, ac liberationis nota: ut Moisis exemplo comprobatur, qui Iudeos victores effecit, quamdiu in monte Deum invocans, brachijs extensis crucis figuram faceret: Nam cùm primùm remitterent se brachia, ac figura illa crucis amitteretur, Iudæi ab hostibus superabantur. Rectè itaq; ait Mysta, IN HOC, nempe crucis signo, nos VINCEre.

### UNITA VALENT.

Vt singula hastilia facillè frangas, conjuncta non possis: ita dissidentes facillè superantur, concordēs non facillè: Quia virtus unita fortior est, ut inquit Aristoteles, dispersa, sive agat, sive patiat. Hic patiendo, hastilia vel sagittæ junctæ fortiores sunt una, quòd vires numero augeantur: Nisi enim ut patiens augetur, ita proportione agens augetur, nõ cedit patiens, sed fortiùs resistet, quemadmodum patiens minùs resistit, si agens numero crescat. Istorum exemplo Mysta se concordiam quærere suorum, quibus unitus, quævis obstacula pellere posse facillimè, nihilque tam arduum & difficile esse, quod superare non possit, ostendere voluit: Concordiam enim Princeps, qui in regno conservat, firmam basim regni habet, viresque multiplices, neque facillè ipsius status concuti potest. Quia concordia etiam res parvæ crescunt, ut discordia maximæ dilabuntur.

FIDE

## FIDE ET PATIENTIA.

Fidelissimum homini animal canis est; sæpe adversus latrones pro domino pugnavit, & in Epyro agnitum, in conventu percussorem domini latratu, & laniatu accusasse, ut scelus fateri coactus fuerit, constat. Garamantum regem canes ducenti ab exilio reduxere, præliati contra resistentes. Canis, Iafone Lycio interfecto, cibum capere noluit, inediaque consumptus est, sed super omnia actis populi Romani testatum: Appio Iunio, & P. Silio Coss. cum animadverteretur ex causa Neronis Germanici filij, in T. Sabinum, canem illius nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse, mœstos edentem ululatus, magna populi Romani corona circumstante, ex qua cum quidam ei cibum objecisset, ad os defuncti tulisse. Innatavit idem cadavere in Tyberim abjecto, sustentare conatus, effusa multitudine ad spectandum animalis fidem concurrente. Patientia canis non minùs præcedentibus exemplis, dum inediam vigilando, ac excubias ad domini corpus agendo, pertulit: quàm Hieroglypto ipso confirmatur: Indies enim cathenis alligatus, servitutem ita æquo animo fert, ut propterea nihil de fide ipsius decedat. Vbi etiam adversus dominum quid deliquerit, castigationem & verbera ita fert patienter, ut quamprimùm dominum blandientem perceperit, statim injuriæ acceptæ immemor, etiam adblandiatur. Nostro ævo contigisse narratur, crudelem dominum, ut canis sui in se fidelitatem, & patientiam ostenderet, ad se vocatum, gladio pedes omnes amputasse, ac gementem & jacentem canem, abjecto gladio ad se vocasse, qui ad dominum repens, cauda illi adblanditus fuisse, acceptæ cladis immemor, magna adstantium commiseratione, & in facinoris auctorem odio, dicitur. Ujus animalis exemplo, hic Princeps FIDEM ET PATIENTIAM sibi colendam, rectè & prudenter proponit; illa enim vinculum est, quo reipublicæ status connectitur, & conservatur: hæc modus, & ratio, qua incommoda feruntur, donec occasio, & opportunitas rei bene, & tutò gerendæ sese offerat.

## TORTO ET FORZA,

id est:

## INJURIA ET VIS.

Symbolum istud Italicum, non aptè Latinè ita reddi potest, ut duplicem, quemadmodum Italicè sensum habeat. Torto Italicè significat curvum, & injustum, curvaturam ostendit funis, ac vim, quæ fune fieri potest: non tamen curvaturam significari vult Mysta, sed injustum, vel injuriam, quòd idem vocabulum torto significat, ut videlicet fune seu vinculis ostendat multis injuriam & vim fieri; quàm quia fortassis ipse innocens perpeffus est:

Hierographia hac posteritati  
notam voluit.

\* \* \*

Q<sup>2</sup>

Franciscus Esiensis Marchio Masse  
et Paduli Com. Auellini Fr. D. Her. Fer.

Antonius Caraffa Marchio Mirabelle  
et Comes Bagui Nepos PP. Pauli tiii.



Hercules Malaspina Marchio Ormale  
Suprem. Capitan. Reipub. Genuens.

Antonius Carraciolus Marchio  
Vici.



Joannes Iacobus Medices Marchio Marignani  
Generalis Caroli V. Imperatoris.



## DUX IN HOSTES PARITER

## ET CLYPEUS.

Duces, qui manipulis militaribus præficiuntur gregarios milites præcedunt, si illos in hostes ducere velint; utque ordine & loco; ita animi fortitudine: Sic enim gregarijs clypei, aut scuti loco sunt, hoc est, primos hostium insultus, & impetus excipiunt, & sustinent. Hæc Hieroglypton ipsum satis explicat: Aquila enim avium regina, Ducem ac clypeum Symbolicè designat: quia adversus avium impetus, pectoris robore & viribus munita est. Huic se comparat rectè Mysta; dum ad invadendos hostes pro suis se semper paratum, ac si ab hostibus oppugnetur, se illorum insultus suscipere, pro suorum tutela, & clypei, seu scuti instar illis esse velle, ostendit. Laudandum certè in Principe propòsitum, cum non ob alium finem à Deo creati, & ad imperij sedem evecti sint Principes, quàm ut hostes oppugnent, suos defendant, ac justè regant. Pius & bonus Princeps officium suum, ut iste, intelligit, ac DVX IN HOSTES PARITER ET CLYPEVS pro gregarijs & subditis est.

## DUM SPIRO, SPERO.

Fortuna instabilis rarò eadem apparet facie: dum aridet sæpe fallit; dum truci intuetur vultu, beneficijs interdum decipit: Chameleonte itaque mutabilior. Quis tamen horridam faciem extimescat? quæ facile benigna fit. Quis non speret, dum spirat, mutabilem mutaturam ingenium? AEvi tempus longum est, si non citò, sat citò modò mutet. Interea spes alit afflictum, & ærumnæ devorantur alacriori animo, donec sperata priùs, affulgeant. Id boni spes adfert, quòd sperans, spe pascatur, ac speratis ferè ut præsentibus fruatur, & nisi ea aleretur vita, animantibus alijs miserior homo esset. Miser itaque est, sed miseram vitam spes nutrit: Hinc Mysta DVM SPIRO, SPERO. Sed quid sperat? mali in bonum cumulationem, aut quòd ruinam & exitium minitabatur, pristinum statum & vitam recuperaturum. Rectè quidem anguis exemplo, qui dissectus, adjunctis disjunctis partibus, iterum coalescere, & jam egressuram animam retinere fabulosè putatur. Ostendit itaque Mysta se virum, quòd non despondeat, quassatum fortunæ injurijs animum, brevè pristinae foelicitati restitutum iri. Ea quippe rerum vicissitudo; ut calamitatibus & adversis; foelicia ac secunda quævis succedant: Speremus ergò dum spiramus.

## MIHI MEDELAM.

Gesticulationibus humanos actus imitatur simia, ut divinos Satan; illa ut placeat homini; hic ut decipiat, & quòd Dei est, Deo auferat, ac ad se transferat: Coli enim vult ut Deus; non quòd commodi inde habeat quicquam: sed quòd Deo aliter nocere (si noxa est Majestatem, quæ offendi non potest laceffere, ac ab ea clientes alienare) nequeat. Verùm mali genij ingenium, hominis calamitatibus exultat, & dum illius foelicitatem impedit, pœnarum socios, ac in quos sævire possit, conquirat. Vt mali aliorum foelicitate marcescunt, infœlicitate pingve-

scunt; sic Sathan etsi corpore careat, Nam & animus pascitur, & beatitatis inedia torquetur ac tabescit. Vicerat prius simia fraude ac technis primum parentem serpentis facie; verum vides in Hieroglypto à leone superari: Hic est Leo de tribu Iuda: Sed Gnome, M I H I M E D E L A M convenire non videtur, neque enim medela indiguit; profectò sui (qui ipsius sunt membra) indiguerunt. Imò ut ad Mystam hæc transferantur, Mystæ generosus animus simiæ infernalis illecebras, præstigias, ac tentationes, dum contemnit & superat, ipsam sternere, ac sibi victoriâ medelam facere, rectè dici potest. Si mavis Leonem Principem esse, & Simiam adulatorem, non repugno, aptè enim quadrabit Gnome Hieroglypto. Simia parasitando hero grata est, dum gravioribus pressum negotijs, in risum gestibus conijcit; Canis & equus utiliores quidem Patrifamilias, ille ut custodiat, hic ut onera ferat aut trahat; sed citra splendorem & cum despectu; cum voluptatem herus imprudens, sæpe utilitati præferat. In aulis adultores, gnatonos, parasiti, ac hujusmodi facis homines, aut Simiæ potiùs, dum voluptati sunt Principi, & in pretio, gravissimo morbo laborat Princeps, & tali, ut de statu periclitetur, ni otius sibi medelam adhibeat, ac hujusmodi simias perdat. Dum febricitat leo, simiæ siangvine sibi medetur. Cur id non imitetur Princeps, dum salus reipub. suæ, abacta veritate periclitatur: Ejus enim rei inopia laborant ptincipes, ac id unum deest, nempe qui verum dicat; dum nemo ex animi sui sententia dicat & svadeat, ac adulandi certamen sit unum amicorum & aulicorum omnium officium. Si bellum gerat, adultores contemnunt hostem ac illius successus fœlices cœlant, viresque sui Principis majores, quàm sint celebrant. Hinc stulta securitas, neque prospicit futuris, neque præsentis occasione, ut hostem arceat, vel vincat utitur: Imò negligentia victoriam hosti sæpe tradit. Faciat itaque sibi medelam Princeps, ac adultores, parasitos, gnatonos abigat, eosque apud se retineat, qui virtutibus & genere nobiles, veritatem colant, ac quid verè in regno geratur, fortunatum sit nec ne explicent: Sic enim tempestivè admonitus occurrere malo, antequam radices agat, poterit. Si etiam majora adversa omnia principi fiant quàm sint, consultum erit; ita quippe majori diligentia, quàm opus sit illis occurratur, ac imminetia mala securiùs depellentur. Sed aula assentationibus, rarò veritate ali cupit. Hinc fit tot rei gerendæ bonas occasiones sæpe amitti, nec priùs reipub. vel aulæ vitia corrigi, quàm Princeps ipse manum & medelam adhibeat leonis exemplo.

### SEMPER ADAMAS.

Maximum in rebus humanis inter gemmas pretium habet adamas, diu non nisi regibus & ijs admodum paucis cognitus: Vereres eum in Aethiopum tantum metallis inveniri existimavere, inter delubrum Mercurij, atque insulam Meroen. Genera ejus sex: Indici, non in auro nascentis, sed quadam crystallo cognatione. Siquidem & colore translucido non differt & laterum sexangulo levore turbinatus in mucronem, aut duabus contrarijs partibus, quò magis miremur, ut si duo turbines latissimis suis partibus jungantur: magnitudine verò etiam avellanæ nuclei. Similis est huic quidem Arabicus, minor tantum, similiter & nascens. Incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes ictum, ut ferrum utrinque dissulter,  
i ncu-

incudesq; etiam ipsi dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura & nunquam incalescens. Vnde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. Vnum ex ijs vocant cenchron, quod est milij magnitudine. Alterum Macedonicum in Philippico auro repertum: & hic est cucumeris semini par. Post hos Cyprius vocatur, in Cypro repertus, vergens in æreum colorem, sed in medicina efficacissimus. Post hunc est siderites ferrei splendoris, pondere ante ceteros, sed natura dissimilis. Nam & ictibus frangitur, & alio adamante perforari potest: quod & Cyprio evenit: breviterq; ut degeneres, nominis tantum autoritatem habent. Hactenus Plinius de adamante, ex quo colligere licet nostro ævo vix veros illos, qui & igni, & ferro resistunt adamantes haberi. Omnes enim malleo facillimè franguntur, ut pulvis celandis alijs gemmis usui sit: Igne etiam in cineres nostrates non difficulter rediguntur. Mysta Indicum, qui ferrum & ignem fert, exhibet ut generosi animi sui fortitudinem & constantiam indicet, qua res adversas absque noxa & incommodo ferre, potest.

### CUSTODI DOMINE VIGILANTES.


Hæc Hierographia intellectu difficilis non est: Conspicitur enim navis vento agitata in alto mari, ac non procul à scopulis, quos navis præfectus, ut evitet, circa gubernaculum vigilat, numinisque auxilium implorat, absque cuius ope rarò hujusmodi pericula vitantur. Navis Mystæ personam refert, qui multa pericula, & adversa perpessus, numinis ope indignit, numinisque beneficio adjutus, tandem omnia superavit, & ad magna evectus est. Prudentes illi, qui dum adversis premuntur, numinis auxilium implorant: rarò enim fallit quin adjuvet, orate, inquit Christus & dabitur vobis. Tanta enim est patris cœlestis benignitas, ut roganti nihil denegat, & plerunque petitis majora tribuat. Principem hunc præter multorum opinionem ad summa pervenisse numinis voluntate, ejusque prius postulata ope, nemini dubium esse, Symbolo ac eventu id attestantibus, debet.

### AGITO.

Imperantis est Symbolum: Sed quid imperat? Lusorios obeliscos in tabula positos cædi vult, ut vincatur. Obeliscis proculdubio Mysta inimicos, vel obstacula illa, quæ ne ad scopum sibi propositum pervenire possit, impediunt, significat. Hos cædi, hoc est, è medio auferri vult. Magnanimi est, neque furtim, neque clanculum adversarios suos adoriri, sed aperto Marte: Hoc modo si vincatur, laus manet apud victorem, ac victi æquiori animo infortunium ferunt, victoriq; fidelius parent. Prudentis etiam est, omnia ea, quæ conatibus obstant amovere, ut facilius desiderata & optata obtineri possint; medicorum exemplo: Qui dum aliquem ad pristinum valetudinis statum reducere cupiunt: primùm ea, quæ naturam impediunt, quò minùs medicamēto adjuta morbum depellere possent, auferunt, ac tum demum morbo auferendo, & depellendo, pharmaca adhibent, remotis enim impedimentis, facile natura morbis medetur, medicamenta in actum redigit, illorumq; ope adjuta morbum vincit.

MARCHIONES TOTIVS ITALIAE

Joannes Iacobus Medicus Marchio Morignani Generalis  
Caroli V. Imperatoris



Joannes Paulus Sfortia Marchio Caranaty Frator  
Ducia Francisci Mediolani



Violantie Bentuaglia Sfortia Marchionissa Caranaty  
Ioan. Pauli uxor.





## PERCUSSUS ELEVOR.

Magna pila ventosa, aut vento plenus coriaceus globus, qui in altum percuti à certantibus solet, adjunctis brachialibus, quibus in altum pellitur, híc exhibetur. Pila hæc id habet, ut quia levissima est, ventoque constricto tumida, duraque, dum percutitur à duriori corpore, satis altè elevetur. Illius instar Mystra se ab invidis, ac fortunæ telis percussum, non deprimi, sed magis elevari asserit: idque omnibus viris fortibus magnoque animo præditis commune est, adversis enim non franguntur & corruunt, sed firmiores redduntur, magisque elevantur, id est, majores dignitates, melioremque fortunam consequuntur. Cui istius Principis vita nota est, scit, quid ab inimicis perpeffus, quibusque postea honoribus, affectus fuerit; sed hujus loci non est ista recensere.

## TODO ES VIENTO.

id est:

## TOTUM VENTUS EST.

Describuntur iterum pilæ ventosæ, adjecta syringa & folle, quibus ventus pilis inflari solet, addito Symbolo Hispanico, TODO ES VIENTO, id est, totum ventus est. Hac Hierographia Princeps ad summa (dum maximè inimici eum opprimere studerent) evehctus; mundanum omnem honorem & potentiam vanam, pilæque ventosæ instar inanem esse, nihilque præter ostentationem quandam habere, ostendere voluit. Egregia profectò similitudo: Nam ut pila hæc magna & dura, ac in altum percussa, multis admirationi est: examinata vero, inanis, levis, ac vento tantum repleta depræhenditur, risumque movet: ita res quæ multis permagnæ, ut honores summi, & dignitates, videntur, si penitus inspiciantur, & perpendantur, vanitate plenissimæ, & neque corpori, neque animæ utiles, sed potius illorum carnificinæ depræhenduntur. Quantam enim servitutem corpori inducant dignitates; dum curam adipiscendarum divitiarum, sine quibus servari non possunt, poscunt, & curam curandæ valetudinis, libertatemque faciendi, vel ruri, vel domi quod velis, vel quibus delecteris impediunt, cuius notum est. Dignitate enim tanquam aurea cathena, homo perpetuò ligatur, facultateque vivendi ut velit privatur, ac dignitatis honorumque mancipium fit. Animæ salutis honores rarò utiles sunt, quòd superbiendi, ac vitiorum multorum præbeant occasiones; quibus si maculetur anima, neque mundetur, æternis pœnis cruciatur. Rectè itaque Mystra mundana hæc omnia, quantumvis magna & sublimia videantur, vanissima, ventoque similia esse agnoscit. Is enim pilas, magnas & turgidas, durasque facit; attamen nihilo ita proximus est, ut emissus, neque conspici, neque compræhendi possit.

## QVIS DICERE FALSUM AUDEAT.

Vt nemo visu præditus, ortum Solem, ac illius lucem inficiari potest, ita vir probus & pius, ea quæ vera sunt, negare neque debet, neque potest,

potest: Veritas enim Solis instar est: quàm hac Hierographia Mysta se profiteri Solis imagine, & Symbolo ostendit: Sol enim illius est Hieroglyphicon: quia solus, & unus est, ut veritas: duplicia namque & multiplicia veritati contraria, & mendacia sunt. Veritatis cultor imprimis T. Pomponius eques Romunus fuit, qui mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat, quapropter omnes ei res suas, amici curandas certatim dabant: consiliumque ab eo de republica, deque rebus magnis petebant. Vt itaque veritatis laus & utilitas magna; ita mendacij vituperium ingens, cui & id accedit, ut qui eo delectatur, vir probus esse non possit, qui execratur bonus sit teste Comico:

ἔνδοξο δὲ μισθὸν τῶν σοφῶν καὶ γήσιμον.

id est:

*Mendacium odit, qui vir est frugi & sapit.*

Mendacium etiam rarò prodesse, sæpiùs obesse solet. Nam mendaces id lucrantur, ut cum vera dicunt, ijs non credatur, & si commercia exerceant, nunquam emergere, & rem facere possint: Nemo enim mendaci fidit. Fide autem amissa, & elusa; quia ex alienis ac creditis bonis decerpenti fructus tollitur occasio, omnes facultates, ac fundamentum divitiarum, vitæque sustentandæ ratio corruunt; ut mercatoribus & principibus, qui alieno ære plerunque mercari, & bella gerere debent, notum est.

## SIC ITUR AD ASTRA.

Arcus extensus cum sagitta in cœlos destinata, in Hieroglypto conspicitur, quæ si emittatur, ut figura ostendit, sursum fertur, & ad astra tendit. Hujus exemplo Mysta & se, & quemvis ad astra ire, id est, extremum beatitudinis scopum adire posse, significat. Vt autem in arcu vis requiritur, quo jaculum seu sagitta emittitur, & sagitta sic concinnari debet, ut facillè sursum ferri possit; Ita etiam animus hominis, vim, studium & diligentiam requirit; ut ad sublimia & divina pellatur, ac summi boni compos fiat. Ipse deniq; animus ita compositus esse debet, ut à cæteris adjutus, cœlestia facillè assequatur. Regnum enim cœlorum, ut inquit Hierographus, vim patitur, & violenti rapiunt illud: Quæ autem ista sint, arcus, & sagittæ forma ostendit. Imprimis enim basi, & fundamento opus est, cui sagitta innititur, videlicet chorda & arcus: Deinde vis humana, quæ arcum & chordam ita extendat, & diducat, ut spes sit, scopum propositum attingi posse, requiritur: ac postremò sagittam alis & mucrone instructam esse oportet, ut facillè optatum scopum feriat. Vt verò ista desiderantur, si quis sagittam in sublime emittere velit; ita istorum exemplo, tria, si animus cœlestia petere velit, videlicet fides, spes, & charitas sunt necessaria: Fides enim fundamentum salutis est, ac arcu & sagitta designatur. Spes ipsorum extensione. Charitas verò alis, & mucrone ipsius sagittæ, quæ animum hominis levem, & penetrantem facit, ut facillè cœlestia adire, & assequi possit,

SOLA

SOLA, NON SOLA, RE-  
PRÆSENTO.

Duabus istis candelis ardentibus, non est dubium quin hæc Principissa, & se, & maritum notare voluerit, ac serpente, qui candelabrū utrumq; complectitur prudentiam, qua inter conjuges vinculum conjugij regitur, atque conservatur. Id dum fit, fides ab utroque servatur, ac conjugij fœlicitas & amor, ignis & flammæ instar lucet, ut quilibet conjugum, solus quidem sit, non tamen videatur, ut Symbolum ait, SOLA NON SOLA REPRÆSENTO, supple, lumen: Quemadmodum enim duarum candelarum lux ita confunditur, & unitur, ut etsi uniuscujusque candelæ sola sit: tamen non appareat, sed una lux tantum; ita in conjugio, cuilibet conjugum solus, si persona, non solus, si animus, qui in alterius conjugis corpore vivit, spectetur, est. Voluit itaque hæc Principissa ostendere, se non solum propter conjugalem amorem, vivere beneficio mariti, sed etiam maritum ita animo suo inhærere, ut absens, semper præsens sit, atque hoc modo se nunquam solam esse,

NIL AMABILIVS.

Vt animalibus nihil Sole est amabilius, non solum propter calorem, quo fovet cuncta, sed propter lucem, qua omnia conspicua suis coloribus illustrat, & exornat: absque luce enim color nullus est, nullaque rerum in hoc orbe pulchritudo: ita probæ matrifamilias nihil amabilius viro suo, à quo fovetur, defenditur & ornatur: Mulieris enim decus & ornamentum vir est, ac omnis viri dignitas, cū illa propter conjugale vinculum communicatur: Quò fortassis hæc Principissa respexit: nisi illam censeamus Symbolo voluisse, NIL æterno illo & invisibili Sole esse AMABILIVS: hac enim ratione Hieroglyphicè interpretabimur sculpturam & benè: Cū nihil eo Sole possit esse amabilius, à quo creati sumus, cujus beneficio animam adepti sumus, vivimus, intelligimus, ac æternæ beatitudinis capaces sumus: Quis enim id, à quo omnia bona & æterna cōsequitur, & quod omni pulchro, pulchrius, ac omnis pulchritudinis parēs, & principium est, non amet. Postremò si Sole veritatem designare voluerit Principissa, eleganter Solis, qui unus est, ut veritas, figura usa est.

Veritate autem, quæ Deus ipse est, NIL esse AMABILIVS, cuilibet notum est. Proinde laude digni, qui eam observant, colunt, ac venerantur.



Mutius Sfortia Marchio Carauaty  
filius Ioanni Pauli.

Constantia Columa Sfortia Marchio  
uxor Carauaty Muti uxor.



Philippus de Croio Marchio  
Arecotæ.

Andreas Sfortia Marchio Pallanicini  
Generalis Venetorum Reip.



Guilhelmus Marchio Turre  
Maioris etc.

Hippolita Carotta Marchionis  
Guilhelmi Turre Maioris uxor.



## NON TALI AUXILIO.

Aethnam montem in Sicilia, & Heclam in Islandia perpetuos evomere ignes sulphureos, ac vastè omnia exurere, cuivis notum est. Vt autem nulli imbres, nullæque pluviae ignes istos extinguere possunt: ita Mysta ostendere voluit, hac Hierographia se etiam igne uri, qui tali ac vulgari auxilio non tollitur. Existimo autem flammam amoris intelligere, quæ medullas exurunt, hominemque interdum ad insaniam, vel rabem redigunt, ac id habent, ut quò magis tegantur, magis ardeant, Ovidio teste.

*Quoq; magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.*

Et alibi:

*Quis enim bene calat amorem?  
Eminet indicio prodita flamma suo.*

Exemplum vehementis amoris narrat Valerius Max. Seleuci nemperegis filium Antiochum novercæ Stratonices amore correptum ad extremum decubuisse, & moribundum jam, Erisistrati medici prudentia, amorem erga Stratonicem deprehensum fuisse: quòd cum illa ingrederetur cubiculum, rubore perfunderetur, & cum egrederetur, iterum pallefceret, ac anhelitus, & pulsus fieret mutatio: ac propterea à patre concessa Stratonice filium fuisse valetudini restitutum. Fortassis Princeps conjugis suæ amore se ita flagrare, nullaque alia re, quàm ipsius copia, & præsentia, flammam amoris extinguere posse, ostendere voluit.

## HIS SUFFULTA.

Respondet hac Hierographia uxor marito, ac ut ille priori Hierographia absque uxore vivere non posse, ita nec se absque marito vitam ullam habere, ostendit: Refert enim arbor Principissam, & Sol maritum: ut enim arbor virere & vivere, nisi à Solis radijs illustretur, & foveatur, non potest: ita nec illa, nisi indies viri præsentia fruatur: Hæc enim conjugalis amoris verum fulcimentum, & pabulum est, sine quo lugent, & tabescunt veri amantes. Conjugalis amoris exemplum præ cæteris præbuit Hispicratea, Mithridatæ regis Ponti uxor: Mariti enim causa, præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem convertit: Tonsis enim capillis, equo, & armis se assuefecit, quòd faciliùs laboribus, & periculis mariti interesset. Quinetiam victum à C. Pompeio, per efferatas gentes fugientem, animo pariter, & corpore infatigabili sequuta est: Cujus tanta fides asperarum, & difficilium rerum Mithridatæ, maximum solatium, & jucundissimum lenimentum fuit, teste Val. Maximo.

## PRÆ NIMIO PONDERE.

Vt equi rhedam præter modum oneratam, trahere non possunt, & præ nimio pondere procedere ulterius impediuntur: ita principes viri gubernaculis rerum præfecti, si multitudine negotiorum obruantur,

R

&amp; impares

& impares tantæ moli regendæ sint, (nisi à consiliarijs, & adiutoribus juventur) rerum processus intercipitur, quiescit, & sistitur, pacisq̃ue tempore, bonus reipublicæ status paulatim tabescit, ac extinguitur, bellicq̃ue tempore occasiones rerum bene gerendarum amittuntur. Fortassis hanc Hierographiam eo tempore, cum Dux Albanus Belgij præfectus, ac rerum Belgicarum status periculosissimus esset, Princeps iste edidit. Tunc enim hic Dux nullum publicum munus suscepit. Nam rerum gerendarum magnitudine deterritus, ac metuens ne præ nimio ponderi succumberet, privatam vitam sapienter egit, ac solus & unus ferè sano illo consilio ex antiquis Belgarum familijs superstes remansit, reliquis omnibus bellis, ac alijs calamitatibus extinctis. Dum bello intestino laborat patria nihil prudentius quiete. Quia cujuscunque defendes causam, alteri injuriam facere videberis, ac in reipublicæ, cujus & tu membrum, cum illis, quos oppugnas es, tanquam in propria rues viscera. Vir bonus in bello civili, neutri parti adhæret, quòd utriusque causa & bona & mala sit, ac proinde dubiam causam defendere viri boni non sit officium.

### IMMOBILIS.

Verè immobilis est pyramis seu obeliscus, etsi alas addideris, ut in Hierographia. Obeliscus à pyramide non differt figura, sed structura, quòd ex uno lapide obeliscus, pyramis ex pluribus constructa sit. Utraque constantiam designat, quàm Principes plerunque profitentur: Nihil enim elegantius Principis constantia, ut nihil turpius levitate. Constantia circa res arduas, & adversas versatur, quibus cedere viro constanti non licet, sed contra stare & obsistere: Inde enim nomen habet constantia. Qui hac virtute præditus est, nullo malo opprimi planè potest. Nam pressa latitat quidem aliquamdiu virtus, ut ignis sub cineribus: verùm non extinguitur, sed dimotis impedimentis, recentiq̃ue accedente rerum gerendarum occasione, iterum luculentius, ut ignis remotis cineribus, refulget, assurgit, & emicat: Verùm discrimen faciendum inter constantiam, & pertinaciam: Illa enim virtus, hæc vitium est. Constantia in rebus laudabilibus, & quæ virtutis aliquid continent, pertinacia in rebus malis, aut vitijs exercetur.

### SIC MUTOR AD ILLAM.

De uxore loquitur Sol, id est maritus Princeps, qui se Solis figura denotat: Est enim uxori vir Solis instar, cum ab illo illustretur, & ornetur, ut à Sole inferiora hæc omnia. Inquit autem Symbolum: SIC MUTOR AD ILLAM. Sed quænam quæso mutatio Solem subit? cum semper uniusmodi, eadem luce, eadem pulchritudine, eodemq̃ue motu appareat? Mutatur sanè non sibi, sed nobis, dum Luna inter nostrum, & illius corpus interponitur; tum enim Eclipsin patitur, & figura orbicularis, in lunarem mutatur; id in conjunctione Lunæ & Solis, aliàs non fit. Voluit itaq; Mystra indicare, se amore conjugali ita teneri, ut suus amplius non sit; dumque præsentia & co-

pia

pia conjugis suæ fruitur, ita mutari, ut vita animoque suo in ipsius corpustranslato, eclipſin patiat, priſtinamque formam non retineat: vulgare enim eſt, amantes in aliorum corpore animum, non in ſuo habere. Id ut in ſolutis conjugio, vituperio dignum: ita in conjugibus ſummopere laudandum eſt.


### ME TUIS ORNARI.

Vt Luna lucem à Sole habet, ejuſque beneficio illuſtratur, nobiſque conſpicua fit: ita uxor, & materfamilias, à viri conſortio, illiuſque dignitatibus ornatur, & illuſtratur. Hoc beneficium ſe à viro habere hæc Principiſſa agnoſcit Symbolo **ME TUIS ORNARI**, ſibi enim gratulatur, quòd illius ſocietate, & dignitate, tanquam ſolaribus radijs ornatur, & illuſtretur, Mulieris ſiquidem ornamentum vir eſt, qui ſi improbus & frugi non ſit: vitium omne cū muliere communicat, illamque ſuis vitijs quaſi infamem reddit: ut è contra virtutibus illuſtrem, ſi illis ipſa careat. Celebretur itaque hæc Principiſſa, quæ ſe viri encomijs ornari fatetur.



Hypolita Fiaramonaa Marchionissa  
Scalaaole

Joannes Baptista Azzia Marchio  
Terze



Joannes Petrus Marchio Polig:  
nani

Paganus Doria Marchio Generalis  
Regis Hispaniaru



Guilhelmus Malatesta Marchio  
Terrasana

Leonora Malaspina Marchionissa  
Terasana





## ITA ET VIRTUS.

Vt Laurus inter iratos leones in hac Hierographia virere conspicitur, ac illorū iras non perferentiscit: ita & virtus inter Tyrannos floret, neq; illorū rabiem percipit. Id Lucretiæ castitas invicta docuit, quæ vitiū corpori illatum propria nece expiavit, ne virtutis fama ante mortem destituere- tur; mansit enim animo casta donec expiravit: Et scelus in se commissum, majori virtute, quàm fœmineus sexus fert, delevit. Forte Marchionissa lauri exemplo se perpetuò virtutibus, Heroinis dignis, ac præcipuè castitate florere velle, neque procorum, malevolorum, & potentiorum adulationes, minas, aut iras metuere, ostendere conatur. Est enim castitas inter alias virtutes, matronis maximum & præcipuum ornamentum, qua si destituantur, omnes aliæ virtutes defædantur, & vitiorum potiùs vices subeunt. Vna castitas, reliqua matronarum vitia tegit, obliterat, & ex vitio virtutem facere videtur. Livia Augusti Cæsaris uxor, cùm nudos homines, qui sibi facti erant obviam, inspexisset, & ideo à nonnullis damnaretur, dixit eos matronis honestis, & continentibus, nihil à statuis differre: Cor enim hominis pudici, rerum impudicarum aspectu, malis cogitationibus non tangi.

## PRIUS MORI QVAM FIDEM

## FALLERE.

Coronam spineam, duæ utrinque manus comprehendunt, in ejus medio rosa constituitur. Duæ manus fidem datam notant; corona difficultates, ærumnas & molestias, quæ fidē servantibus nonnunquam contingunt, ac rosa bonum nomen, & laudem, quam ij, qui fidem servāt consequuntur, ostendunt: Vt enim ex spinis rosa, flos pulcherrimus, ac odore suavissimus provenit; ita ex difficultatibus, quæ propter fidei cultum incidunt, plerunque vel honor, vel emolumentum, vel memoria æterna provenit. Fides duplex: Theologica, & Politica. Theologica, quæ Deo debemus, & in fonte baptismi datis vadibus promissimus, servamus & colimus, ac mortem potiùs subimus (martyrum multorum exemplo) quàm illam fallamus. Politica fide, rempublicam, ac rem familiarem conservamus & augemus: Si enim respublica, propter hostium, aut vicinorum potentiam periclitetur, pax offerri & obtineri facilè potest, dum modò hostes sciant petentes fidem non fallere: Quia certa pax, & lucrosa, dubiæ victoriæ, hostibus est utilior, ac præferenda. Si rempublicam augere est animus, nihil ad id fide utiliùs. Nam pace, & libertate promissâ vicinis, vel hostibus, fideque religiosè servata; vòluntariè & libenter paretur. Romanis maximum telum fides fuit, quo plures pace susceptæ, quàm bello gentes fuerunt devictæ. Quanti autem momenti ad rem familiarem servandam, & augendam sit fides, imprimis mercatoribus notum est, qui omnibus facultatibus destituti, facilè ditescunt; si mercibus illorum fidei creditis, eas divendant, & fidem servant. Hac enim ratione plura illis creduntur, ac illi ex aliena re lucrum, & divitias captant, atque non solùm sua conservant, sed augent. Quivis etiam illis, quos fidem servaturos non dubitat, ociosas pecunias libenter mutuò dat. Fi-

dem vevò non servanti, quia nemo credit, is nunquam emergere (si pauper sit) & rem familiarem augere poterit, quod pecunijs divitiarum acquirendarum, organis ac medijs destituatur. Potius itaque moriendum quam fidem fallere.

### INOPEM ME COPIA FACIT.

Cùm Tantalus Deos lauto excepisset convivio, inter ceteros cibos, Pelopen filium ad epularum magnificentiam illis apposuit. Verùm Dij factum, & facinus malè ferentes, pristinae vitæ puerum restituerunt, ac Tantalum ad inferos damnarunt, ubi perpetua siti, etiamsi semper in aqua sit, ac usque ad mentum illa assurgat, cruciatur. Nam quoties labris eam attingere conatur, statim refugit. Ab hujus historia Hieroglypton desumptum videtur, sed prorsus alio sensu, ut Symbolum declarat. Nam figura humana linguam exerens, Principem honorem & gloriam sitientem & appetentem (nequaquam ob delicta commissa furijs infernalibus agitatam) indicat. Verùm ob occasionum (quæ gloriam & honorem parere possunt) multitudinem, quæ sese quotidie offerunt, ita angitur, ut nesciens, quamnam præ ceteris eligat, nullam acceptet; ac ita ob copiam, inopia explendi desiderij laborare: Id enim familiare viris magnis multisque virtutibus præditis est; ut plures dignitates simul illis offerantur, ac copia impediti nullas acceptent, amantium exemplo, qui dum se multas in potestate habere fœminas putant, non facillè ex ijs unam, anxij quamnam alijs præferenda sit, sibi uxorem eligant Optionis enim libertas, electionem tardat ac tollit; fortè Princeps ita hanc Hierographiam intelligi voluit; sed sæpe difficillè est Principum cogitata assequi.

### AVNQVE OS PESE,

id est:

### ETIAMSI ILLI DISPLICEAT.

Vt Sol etiamsi nubibus illius aspectus prohibeatur, nihilominus lucem suam per illas nobis transmittit, propter eximium & incomparabilem splendorem: Ita viri magni, & boni, etiamsi invidi & improbi obstant, non possunt non favore, benevolentia ac facultatibus cuivis benefacere: Omne enim bonum sui communicativum. Qui alijs servire, aut prodesse absque damno possunt, ac id non faciunt, pro viris bonis habendi non sunt: Vt nec illi, qui merita non compensant, nihilque gratis faciunt, quos pro sordidis, avaris & sceleratis habere oportet: Boni enim, Solis instar, etiamsi invidis id displiceat, semper ad officia prompti sunt, ac ut unicuique, dum datur occasio, benefaciant. Talem se Symbolo Hispanico: AVNQVE OS PESE, id est, etiamsi illi displiceat, profiteretur esse Mysta: Cùm nihil laudabilius sit, quam Principem esse liberalè, beneficum, ac ad juvandum paratum: Hac enim ratione populi benevolentiam sibi conciliat: statum suum securum facit: inimicos latentès perturbat, abigitque ac ad quietè vivendum occasionem præbet.

### FULMINAT HIC BELLO.

Ad bella bene fœliciterque gerenda requiruntur, dexteritas, prudentia,

dentia, ardor animi, & arma. Hæc quatuor perbellè Hieroglypto demonstrantur: Dexteritas enim, quæ experientia comparatur, annulo designatur, quem gladij mucrone, non nisi sæpius expertus, & dexter suscipere potest. Prudentiam, sine qua bellum fœlici successu caret, serpens gladium obrepens denotat. Animi ardorem & voluntatem, quo bella geruntur, ignis significat. Ac gladius, brachiumque armatum, arma quibus bella geri debent. Quicumque igitur his quatuor instructus est, HIC verè FULMINAT BELLO, præcipuè autem cui ardor animi magnus: Hic enim igne & gladio nihil invium sinit, ac intactum, sed quævis fulminis instar sternit. An se talem, aut alium describat Mystra, incertum est, lectoris itaque judicio id relinquendum puto.

### SPLENDOR VANESCENS.

Vt candelæ flamma, & splendor, à levissimo afflatu & humore extinguitur, ac evanescit, ita quicquid in hoc orbe splendidum, egregium & pulchrum videtur: Sive enim quis formam, ætatis florem, corporis vires, & sanitatem intueatur, hæc profectò citissimè transeunt: Pauci enim anni, & momento, morbus, aut casus aliquis humanus hæc adimunt. Si verò quis magnificentiam, divitias, honores, dignitates, clientum & subditorum numerum, fastum mundanum, ac rerum affluentiam, qua potentes & Principes præ alijs splendere solent, inspiciat: Hæc omnia, non minùs quàm priora, levi fortunæ adversæ afflatu, vel morte pereunt, & delentur: ita ut splendidissima quæq; vana omnia depræhendantur, ac indigna sint, ut in ijs fœlicitas aliqua cõstituatur. Id dū perspexisset Sapiens, exclamabat, vanitas vanitatum, & universa vanitas, & afflictio spiritus. Et Esaias: omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos agri, Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, & omnis gloria ejus. Hanc rerum mundanarum vanitatem, hæc Principissa cognoscens, & pertesa, numiniq; amore flagrans, Hieroglyphiam hanc edidit, amicis & posteris, judicium hac de re suum relinquens.

Marcellus Pignonius Marchio  
Rivoli

Ferdinandus Caraffa Mar.  
Sancti Lucidi



Robertus Marchio Pallavicini  
Vicarius Imperij et p Longobardia general

Camilla Pallavicina Marchionissa  
uxor Roberti Marchionis



Hermetes Marchio Sencini et  
Comes a Stampa



## HAUD ALITER.

Inter augustas arbores Palma censetur, quòd ea victores, & in urbem ingredientibus Imperatores triumphantes, in signum victoriæ ornarentur, ac coronarentur. Distinctio inter palmas sexus est, ac femellæ, appetitus masculinitatem vehemens, ut si non procul absit, ad illum ramos & folia inclinet, soloq; afflatu & odore, aut pulvere foliorum ejus aspersa, fructus faciat. Sola plantata sterilis manet. Hoc etiam peculiare habet palma, ut phœnicis avis instar, dum senio aut alio casu interierit, iterum à se ipsa renascatur, ac perpetuitatem obtineat. Deinde ut fructus, non circa medios ramos, sed in summitate producat, ac eo loci, ubi à Sole foveri, ac calefieri possit. Nam dum Solis aspectu & radijs privatur, nullos edit fructus. Huc respicere Mysta videtur, dum ait Symbolo: se H A V D A L I T E R fructus facere: Sole enim Deum Opt. Max. intelligi vult, ad quem mentem, ac omnes animi vires, ut ejus ope & auxilio aliquid boni proferre possit, dirigit: Absque enim illius radijs, ac benevolò aspectu, vix aliquid frugiferum effici potest, cum ille omnis boni parens sit, ac nostra indoles primorum parentum culpa ita vitata, ut illius gratia destituta, nullos utiles virtutum fructus gignere, & producere possit. Propositum itaque hujus Principis sanctissimum, ac verè Hierographicum est.

## SIC DIVA LUX MIHI.

Princeps dum juvenis in aula Caroli Quinti Imperatoris educaretur, animiq; & corporis donis excelleret, armisq; & literis operam daret, hanc Hierographiam invenit, in qua spectatur Lotus herba florens, fluminiq; innatans, ac ad Solem se gyrans. Herba à Theophrasto, ac Plinio describitur, Euphratiq; fluviò innasci dicitur, idq; propriè habere, ut cum Sol oritur, ac Hemispherium ascendit, paulatim ex aquis prorumpat, seque ita elevet, ut cum Sol meridianam attigerit lineam, erecta stet, apertis floribus, iterumq; occasum petente Sole, sequendo paulatim occidat; donec post Solis occasum, ita se aquis altè immergat, ut amplius ne manibus quidem comprehendi possit. Ab admiranda hujus herbæ historia Mysta Hierographiam desumpsit, qua ostendit: quemadmodum Lotus herba Solem perpetuò sequitur, & absque ipsius radijs, neque se erigere, neque florere potest; sed aquis immersa languet, ac ut mortua latitat; ita nec se vivere absque amariæ conspectu posse, illoq; privatus, lachrymis, varijsq; animi anxietatibus tanquam undis fluentibus obrui, vitamq; infœlicem ac morti similem agere, donec DIVA LUX iterum affulgeat. Potest etiam Theologicè interpretari Hierographia, mentem videlicet & animum hominis gratia divina affulgente florere, ac mundanas omnes tempestates superare.

## IMMERGAR AUT EMERGAM.

Præcipitem se nudus homo dat, ex scopulo in Oceanum, ait:  
IMMERGAR AVT EMERGAM. Similem aliam se Mysta subire

subire velle docet: Quisquis enim in republica versari, & rebus præfici vult, necesse est multa adoriatur, tentet & audeat, quæ periculis non vacent, ac ijs se committat: hæc enim si superaverit, tandem non minimam laudē consequitur. Qui nihil tentare audet, ac audendo gloriam sibi comparare negligit, rarò emergit, aut ex privato loco ad publicum evchitur. Audendum ut fortuna sequatur; audaces enim juvat timidofque repellit. Indignus bona videtur, qui adversam nunquam sensit, Adversam passio, secunda dulcior est, teste AEnca:

*Revocate animos, mæstumq; timorem  
Mittite: forsàn & hæc olim meminisse juvabit:*

Ea enim natura boni est, ut neque intelligatur, neque cognoscatur, nisi ejus contrarium malum in sensum aliquando inciderit. Laudanda itaque Mystæ voluntas, quòd tentare in rebus arduis fortunam, ac illi se committere gravioris & utilioris rei obtinendæ causâ voluerit. Id in rebus bellicis sæpe contingit, ubi ut ait Horatius:

*Concurritur horæ momento  
Citò mors venit aut victoria leta.*

Verùm ea pericula, quæ omni spe emergendi carent, laudem non pariunt; sed tantùm quæ cum iudicio & spe salutis suscipiuntur: illa enim temerarium faciunt, hæc fortem.

### OGNI BELLEZA A FINE.

Gariophyllus flos depingitur, qui cæteros omnes non solùm forma, coloribus ac pulchritudine vincit: verùm etiam odore, unde nomen habet: Olet enim Indicum Gariophyllum, cujus priusquam se aperiat, formam reddit. Herba veteribus incognita à recentioribus tunica vetonica & superbia appellatur, quòd floris elegantia alios flores omnes contemptui habeat: Celebratur florum cum saccharo extractum ad pestis contagia ac cordis passiones, quibus cum vino aut aceto sumptum mirificè medetur. Ut porrò in Hieroglypto testudo, animal vile & tardum, caulem floris morsu fauciat, ac mox floris inde manat interitus: ita vilissimum & minimum quid, pulchritudinem & splendorem rerum magnarum minuere ac delere potest: Omnis enim pulchritudo finem habet, ut inquit Symbolum. Nulla autem pulchritudo (de qua Camilla agere videtur) citiùs perit mulieris, teste Ovidio:

*Quam citò, me miserum, laxantur corpora rugis  
